

FASCICULUS
PRÆCEPTORUM
LOGICORUM,

IN
Gratiam juventutis
Academiæ *compositus*,
& typis donatus.

Editio tertia.

OXONIÆ,
Excudebat *Guilielmus*
Turner, An. Dom.
1637



160
Ai7f

TYPOGRAPHVS
Benevolo Lectori. S.

QVæ duo, nescio quo occulto admirationis attractu perlegentium animos alliciunt; Authoris eminentia, & Proœmialis nitor; ea in hoc Logicalium fasciculo consultò tacui; nè vel impudicâ frontispicii pompâ procari videar juventutis oculos, unde majoris spe aucupii nundinas multiplicem; vel ea studiosis imponam, quæ præter Authoris insignia & proœmialem panegyrin, aliud non habent, quo à scombris liberentur, & publium mereantur suffragium. Hoc peculiare vendicat modestior conatus, quòd mallet inglorius prodesse multis, (dum rectè factorum conscientiâ satis se

 sola-

Gen. Res 21 July 33 McKeish ed 3 17 Aug. 39 Harrison
1058468

solatur,) quàm vel ab amicis agnosci, nedum à malevolis digito monstrarii satiùs etenim judicat apud incorruptos Censores spontaneum expectare, quam sordido verborum circuitu τὸ τῶν προσωπολήπτων ἐγκώμιον emendicare: vino vendibili non opus est hederâ; meque tacente, quas ille neglexit primitiarum grates, res ipsa (apud aures ingenuas per se satis vocalis) Authori debitas non dissimulat. Quaris quid inter hæc ego tandem præstiti? tuo equidem permotus commodo, ardentiùs apud suos institi, ut quæ retroactis aliquot lustris privatim fuerant perlecta pupillis, ea tandem publici juris fiant: nec dissimulo quàm tui me miseret, (ingenua juventus) quod post exantlatos tot labores, operamque, & bonas horas iteratis transcriptionibus absumptas, opus adhuc imperfectum, erroribus per manum traditis, & indies irreptitiis undique plenum, tantis amplexibus charum habuisti. His ut ocyùs occurram incommodis; castigatis aliquot exemplaribus, quæ priùs palam extabant, superinjectis nonnul-

lis ſupplementis, & tribus inſuper adjectis ultimis libellis, opus integrum typis mandari jam tertiò curavi. Si quem ex hac opellâ fructum reportaveris, redde Deo gloriam, Auctori gratiam. Vale.

G. T.




Substantia
Incorporea
Corpora
Corpus
Inanimatum
Animatũ
Vivens
Insensibile
Sensibile
Animal
Irrationale
Rationale
Homo
Socrates
Plato
Aristoteles
divisiva
constitutiva

INTRODVCTIO GENERALIS AD VNIVERSA LOGICES ELEMENTA.

NOdos nexûsque Logices resoluturus à *definitione* ordiar; facilior enim erit progressus cum priùs quid sit de quo agitur, constet.

Logica est ars dirigens mentem in cognitione rerum. *Logicæ quid.*

In hac definitione (1) Definiti nomen, duo sunt explicanda. (2) Definitionis partes.

Logica (si vim vocis spectes) dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου, quæ vox *rationem* simul & orationem significat, sed rationem præcipuè, utpote aliquâ Oratio fluit. *Ratio* autem est, mentis sive animæ humanæ præcipua facultas, quæ & cognitio & meditatio dicitur; hinc ratione uti, cognoscere, intelligere, & cogitare, eiusdem significationis sunt; nec aliud sunt hominis cogitationes quàm mens seu anima, & intellectus circa res occupatus. *Nomen Logicæ unde.*

Vox autem hæc (*Logica*) sumitur duplicitèr, vel pro

1. *Habitu* ipso per præcepta & exercitationem introducto.
2. *Systemate* præceptorum Logicorum, quo ipsum habitum facilius acquirimus.

Definitio convenit Logicæ in prima acceptione præsertim, ut sumitur pro *habitu*; sed Logica in secunda acceptione hîc à nobis tractanda est.

Genus. *Genus* Logicæ est (*Ars*) non manualis & externa operis effectrix in materiâ crassiori, sed interna & *mentalis*; habet enim & mens in his suas *notiones*: i. fabricationes & artificia, ut vel solâ arte *Poëtica* fit manifestum.

Differentia. *Differentia*, quæ alia pars est hujus definitionis, ab *objecto* & *fine* est petenda.

Objectum. *Objectum* circa quod versatur Logica est duplex:

1 Primarium, quod est *mens*: 1. ratio, intellectus, seu cogitatio quævis hominis, quæ quatenus sine arte, solo lumine naturali expeditur, naturalis Logica dicitur ab *Arist. Elench. lib. 1. cap. 11. text. 9.*

2. Secundarium est *Oratio* seu verba, non quæ (suis sunt combinata literis (sic enim ad Gram. pertinent) nec quatenus sunt ornatè decorandæ, (sic enim sunt Rhetoricæ & Poëtices propria) sed quatenus mentis conceptus respiciunt, iisque aliquid significant & explicant, atque ideò sunt conceptuum Symbola. Ut *Aristot.* de interpret. 1. cap. 10.

Anima quidem ipsa & *essentia* ejus post lapsum mansit, interim tamen *facultatem* amisit intelligendi & cogitandi (non quidem absolutè, (sed) *rectè & ordi-*

nate

nisi de rebus præsertim gravioribus; ideoque tres magnos hos morbos in æternum sibi contraxit. Primus est *aberratio* à re apprehendendâ: Secundus est *obscuritas*; cùm sæpè quidem res apprehendat, attamen naturas earum interiores, harúmque notas, seu verba, quasi per nebulas conspicit: Tertius est *confusio & ἀταξία*, quòd scilicet res non apprehendit & cognoscit eo ordine quo debet. His tantis defectibus mentis nostræ dum per præcepta sua medetur *Logica*, dicitur *eam dirigere in cognitione rerum*; dirigit enim Logica mentem & ejus conceptum, non absolutè, sed in relatione ad res; id est, quatenus actu circa res apprehendendas præcepta ejus sunt occupata, ideòque quatenus sunt τῶν σκεπτικῶν ὀργανικώτατα: Reliquæ disciplinæ, ut *Phys.* & *Math.* non tàm *dirigunt* mentem, quàm *docent* imbuuntque rerum cognitione, quod Logica per se non facit, quæ tantùm σκόπος ἐστὶ τῶν ἐπιστημῶν; quare si quis quærat quidnam sit circa quod Logica versatur, aut cui informando, aut regendo præcepta hæc (quæ traditurí sumus) inserviunt? respondebis, esse tum tuas, tum aliorum hominum cogitationes & meditationes de rebus scitu dignis dirigere, instituta.

Hinc facilè intelligitur quisnam sit scopus, & finis, & fructus disciplinæ Logicæ; is scilicet, ut nostræ de rebus cogitationes per hujus divinæ Artis præcepta & regulas dirigantur & rectificentur; nè inter cogitandum, implicata & obscura pro perspicuis; incerta, pro certis; falsa, pro veris, confusaque, pro ordinatis animus apprehendat. *Finis.*

Quod enim Architecto est regula, circinus, perpendiculum, id menti & cogitationibus nostris sunt *Officium & fructus Logices.*

sunt præcepta Logices: Atque ut officium est Grammatici *congruè loqui, & scribere*, ita Logici est officium *congruè cogitare*, id est, implicata & obscura explicare, incerta probare, sive vera confirmare, & falsa refutare; denique confusa ordinare & disponere: Dicam breviter; tres sunt fructus artis Logicæ, & tria officia boni Logici; *explicare, probare, disponere*: hinc *Dialectica* dicitur hæc Ars, ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod est, in colloquio (collatis cum altero argumentis) placidè aliquid *quærere, differere, disputare.*

Partes Logicæ. Partes Logicæ ab ipso *Objecto* seu ratione & *mente* humana sunt petendæ.

Mens seu Ratio per tres gradus seu *Actus* est distincta.

Primus mentis actus est *simplicium* terminorum Apprehensio: seu formatio conceptûs simplicis.

Secundus actus est *Compositio* & *Divisio*; seu formatio integræ *propositionis* & sententiæ.

Tertius actus est διάνοια, id est; *discursus*; seu collectio unius ex altero.

Ex istis tribus oriuntur tres Logicæ partes;

1 Cognitionem seu *conceptum* mentis *simplicem* dirigit; mediante termino simplici.
2 Dirigit *conceptum complexum*: quod fit præceptis de propositione.
3 Versatur in dirigendo *discursu*.

Vel sic

1 Est de terminis simplicibus.
2 Est de propositione.
3 Est de discursu.

Terminus simplex. Terminus *simplex* est Logica notio sive instru-

mentum

mentium, quo unum quid & simplex rei Thema vel propositum menti repræsentantur; ut enim *Grammatica* suos habet terminos, sua vocabula, *regimen*, (ut Genus Masculinum & Fœmininum, Casum, Declinationem, &c. Ita & *Logicus* suas habet notiones (Genus, Differentiam, Proprium, Definitionem, Divisionem, &c.) ex quibus suam disciplinam explicet docéatque.

Sed id hoc in loco notabunt Logicæ studiosi non nuda tantùm vocabula esse hos terminos logicos, *Genus, Species, &c.* sed significare imprimis imaginem quandam & picturam, (arte formatam in ejus mente & cogitatione, qui logicam dicit aut docet) quâ imagine utitur ad cognoscendas & intelligendas res ipsas *extra mentem* positas: Ita *Genus* est imago & pictura logica in mente hominum, cujus picturæ beneficio mens intelligit naturam multis communem, (ut naturam animalis communem homini & bestiis) & ita de aliis logicæ terminis, quos aliqui similitudine quadam artium aliarum solent declarare: Nam ut *Sutor* calceum rectè constituens, applicat corium crepidæ, sive modulo, quo, (tanquam instrumento artis proprio) & animus & manus ejus juratur & regitur in calceo artificiosè conficiendo; ita (ut ex re crassâ subtilis declaretur) mens, sive ratio humana modulos sibi efformat logicos; id est, terminos seu imagines, (ut Genus, Species, &c.) & quoties rem aliquam de re vult intelligere, toties cogitationem sive meditationem, de re illa instituendam, applicat ad modulos illos logicos, & attendit diligenter utrum ad eos congruit necne. Hos ergo terminos simplices nunc aggredior, sed quia in hoc duplici discrimine ponuntur, quòd alii (cùm immediatiùs res designent

nent) tyrunculorum intellectui tardiùs imprimantur, alii remotiùs easdem res indigitant; qui ad intellectionem primarum notionum, tyronibus facem præferunt, dum præcognitorum vices obtinent: de his quàm de illis priùs est agendum, & primum de *prædicabilibus*, quæ præcognitorum præcognita rectè à quibusdam appellantur; mox de ipsis præcognitis propinquioribus, seu de *Anteprædicamentis*; ultimò de *prædicamentis* dicemus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT. I.

De Universali in genere.

QUOD faustum sit ac fœlix de *prædicabilibus* primùm dicturi sumus, de quibus agendum dupliciter: 1. generatim: 2. speciatim. De universali in *genere* consideranda sunt hæc tria. 1. quid sit. 2. quotuplex sit. 3. quæ sint ejus proprietates.

Ut cognoscamus *quid* sit universale: advertenda est hæc distinctio *Entium*.

Entium divisio.

- *Entium* quæ prædicantur, alia de
  - *Uno tantùm* dicuntur, & non de pluribus, & hæc non sunt universalia aut prædicabilia propriè, sed sunt individua.
  - *Pluribus*,
    - *Complexè*; quæ prædicantur ut complexum aliquod; ut *homo doctus*, & hæc sunt complexa, non universalia.
    - *Incom-*
      - *Æquivocè*; quæ non dicuntur secundum

eaque dicuntur vel	*plexè*, quę prædicantur ut simplicia; & dicuntur hæc vel	cundũ unam & eandem rationẽ, sed diversas de multis; & hęc nõ sunt universalia, sed æquivoca. *Univocè*, quæ dicuntur secundũm unam & eandem rationem de multis; & hæc sunt vera universalia.

Ex hac tabellâ facilè colligitur tum definitio *Individui*, tum *Universalis*.

Individuum, est ens quod de uno solo dicitur non de pluribus; ut, *Plato*; nam etsi nomen *Petri* & *Platonis* pluribus conveniat, tamen res ipsa, quæ est *individua* de nullo nisi de uno dicitur; idque *identicè* non formaliter. *Individuum quid.*

Et hoc *individuum* est quadruplex.

1 *Vagum*, quod rem quidem singularem significat: sed indefinitè hanc vel illam, ut *aliquis homo*.

2 *Determinatum*, quod rem singularem significat, sed certam determinatamque: ut *Paulus*, & omnia propria nomina.

3 *Demonstrativum*, quod rem particularem pronomine demonstrativo quasi digito monstrat: ut *hic homo*.

4 *Hypothericum*, quod rem particularem significat: ut, *Sophronisci filius*, Socratem, & *Hiperione natus* Phœbum significant, ex hac suppositione, quod *Sophroniscus* genuerit tantùm *Socratem*: & *Hiperion* tantùm *Phœbum*.

Universale quid.

Universale, est ens quod aptum est prædicari de multis incomplexè & univocè: ità ut nullum *Fictitium*, *Individuum*, *Complexum*, *Æquivocum*, *Negativum*, aut *Privativum*, sit universale.

Quid sit universale vidimus. Quotuplex sit dicendum est: sunt autem quinque universalia, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, *Accidens*, quæ ad bimembrem divisionem sic revocari possunt.

Quinque universalia.

Omne prædicabile prædicatur de pluribus, vel

In quid, per quod respondemus ad quæstionē factam per quid, & tum dicitur vel de differentibus

Specie, & tunc est Genus: ut *animal*, *color*.

Numero tantùm, & tum est Species ut *homo*

Essentialiter ut Differentia.

In quale, per quod respondemus quæstioni factæ per quale, & tum vel dicitur

Accidentaliter: idque vel

Convertim, & reciprocè: & tunc est Propriuum: ut *risibile*.

Non convertim, & tunc est Accidens: ut *album*.

Isti modi prædicandi sunt in genere *duo*, in specie *quinque*.

Proprietates universalium.

Proprietates ejus sunt tres.

1. Omne universale est ex se æternum, neque oritur, nec interit, nisi in singularibus suis.

2. Omne universale existit in singularibus, non extra singularia.

3 Nullum universale per se sentitur ullo sensu, sed solùm gratiâ singularium.

Itaque quid sit universale in genere, & quotuplex sit, & quæ sint ejus proprietates, jam dictum est.

CAPUT 2.

De Genere.

Nunc dicendum est de *speciali* tractatione singulorum; & 1. de iis quæ in *quid* dicuntur tractandum 2. de iis quæ in *quale*; inter ea autem quæ in *quid* dicuntur, primum dicendum est de *Genere*, deinde de *Specie*.

Genus est duplex

1. Pro *Multitudine* quæ ab aliquo uno principium ducit: ut *Romani* dicuntur genus *Romuli*: *Heraclidæ*, *Hercule*.

2. Pro illo unde hæc multitudo oritur: ut *Hercules* dicitur genus *Heraclidarum*, *Romulus Romanorum*.

2 *Civile*, & tum apud Grammaticos denotat *sexum*, apud Oratores sumitur dupliciter, vel

2. *Logicum* ut apud Logicos usurpatur: de quo videnda sunt tria.

1 Quid sit Genus Logicum; quod sic definitur.

Est universale quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. *Universale* est genus: in hac definitione reliquæ particulæ sunt loco differentiæ, quæ sunt duæ 1. prædicatur de differentibus *specie*, & sic differt à specie. 2. in *quid*, & sic differt à differentia,

Genus quid.

differentia, proprio, & accidente, ut *animal, substantia, qualitas, quantitas.*

Genus quotuplex.

2 Quotuplex sit, est autem duplex.

1 *Generalissimum,* supra quod nullum est aliud genus univocum superius in suo prædicamento: sed ipsum summum est, & sunt talia, *decem* (scilicet) *prædicamenta.*

2 *Subalternum:* quod est genus positum sub altero genere, ità ut sit genus respectu inferiorum, species verò respectu superiorum: ut *animal.*

3 Quæ sunt ejus proprietates.

1 Omne Genus prædicatur univocè & essentialiter de suis inferioribus.

2 Omne Genus est superius suis speciebus directè in serie prædicamentali.

3 Omne Genus est pars essentialis suorum inferiorum.

4 Omne Genus est prius naturâ, & est causa interna suarum specierum.

5 Nullum Genus reciprocatur cum sua specie.

6 Nullum Genus dicitur æquivocè vel denominativè de suis inferioribus.

7 Nullum Genus prædicatur secundum magìs & minùs.

Ut definitio meliùs intelligatur notanda sunt hæc duo.

1 Quid sit differre, aliqua au-

1 *Genere,* quæ sunt diversa genera, vel continentur sub diversis generibus, ut, *quantitas, qualitas, &c.*

2 *Specie,* quæ sunt vel diversæ species, vel continentur sub diversis speciebus

tem dicuntur differre tripliciter.

bus, ut, *homo*, & *brutum*: *Socrates*, & *Bucephalus*.

3 *Numero* tantùm, quæ differunt nec genere, nec specie, sed particulari solùm natura, & accidentibus ut, *Socrates* & *Plato*, & omnia *individua* sunt ejusmodi, si sint infimæ speciei.

2 Quid sit prædicari in quid?

Prædicari *in quid*; est prædicari de aliquo essentialiter, ità ut respondeat ad quæstionem factam per quid de eo: ut, si quæratur *quid sit homo*, rectè respondeo, *est animal*: ità animal dicitur in quid.

Ac de Genere quid sit, & quotuplex sit, & quæ sint ejus proprietates, dictum est.

CAPUT. 2.

DE SPECIE.

Species quid.

SEcundum universale est Species, de qua paucis dicendum est.

Species sumitur, dupliciter.

1 *Civiliter*; at apud *Oratores* usurpatur, & sic *formam*, seu venustatem significat; ut, *Species est digna imperio*.

2 *Logicè*; quomodo apud *Dialecticos* usurpatur, de qua videndum.

1 *Quid sit* species Logica; atque

Est universale quod prædicari aptum est de pluribus differentibus numero tantùm in quid; *Genus* in hac definitione est *universale*, reliquæ particulæ sunt in loco *differentiæ*; per prædicari

sic definitur.

dicari *in quid*, excludo *differentiam proprium*, & *accidens*; per prædicari *numero tantùm*, excludo *Genus*.

Species duplex.

2 *Quotuplex* sit, eitque duplex.

1 *Infima*; quâ nulla species est inferior in serie; ideoque est species tantùm, nunquam genus; ut *homo, equus*.

2 *Subalterna*, quâ aliqua species est inferior, quæ est, respectu *superiorum, Species*; respectu *inferiorum, genus*.

Proprietates speciei.

2 Quæ sunt ejus proprietates.

1 Omnis Species directè subjicitur generi.

2 Omnis Species est pars subjectiva generis.

3 Omnis Species est naturâ posterior genere.

4 Omnis Species prædicatur de individuis tantùm, idque immediatè; genus verò de illis mediatè.

5 Omnis Species constat ex genere & differentia.

6 Quicquid propriâ definitione definitur, est Species.

7 Nulla Species prædicatur secundum magis & minùs.

Ac de Specie quid sit, & quotuplex, & quæ ejus proprietates patet.

CAP. 4.

CAPUT. 4.

De Differentia.

DIfferentia est triplex.

1 *Communis*, quæ est accidens aliquod separabile quod discrimen unius ab altero facit; ut, *ambulare*, & hoc est in *quinto prædicabili*. Dicitur *differentia* quia facit differre, *accidens* quia inhæret.

2 *Propria*, quæ est vel accidens inseperabile in quinto prædicabili: vel accidens proprium in quarto prædicabili, ut *quantitas*, *risibilitas*.

3 *Maximè propria*, quæ essentialiter de aliquo prædicatur, & hæc sola est in hoc *tertio prædicabili*, de qua videnda sunt tria.

1 *Quid sit*: ponuntur autem *tres* definitiones.

1 Differentia est universale quo una species ab alia essentialiter distinguitur; ut, *rationale distinguit hominem à bruto*.

2 Differentia, est universale secundum quod species superat genus: quia species in sua essentia differentias continet, quas genus in sua essentia non continet. *Differentia quid.*

3 Differentia, est universale quod aptum est prædicari de pluribus differentibus specie vel numero in quale essentialiter. Definitio hæc explicanda est, ut generis, & speciei definitiones suprà fuerint explicatæ.

2 *Quotuplex*

1 *Diuiſiua*, per quam genus diuiditur in ſuas ſpecies; ut, per *rationale* & *irrationale animal* dividitur in hominem & brutum.

2 Quatuplex ſit, eſt autem duplex.

2 *Conſtitutiua*, quæ conſtituit aliquam ſpeciem eſſentialiter, & hæc eſt duplex.

1 *Generica*, quæ conſtituit aliquam ſpeciem, ſed remotè non proximè; proximè enim conſtituit genus, ut *ſenſibile* reſpectu *hominis* eſt differentia *generica*, quæ proximè conſtituit animal, remotè verò hominem. Et hæc ſemper prædicatur de differentibus ſpecie & numero.

2 *Specifica*, quæ conſtituit aliquam ſpeciem proximè.

Proprietates differentiæ.

3 Quæ ſunt *proprietates*; ſunt autem ſex.

1 Omnis differentia eſt pars eſſentialis ſuæ ſpeciei, & omnium individuorum de quibus dicitur.

2 Omnis differentia eſt diuiſiua reſpectu ſuperioris, & conſtitutiua reſpectu inferioris.

3 Omnis differentia eſt prior naturâ ſuâ ſpecie, & eſt ejus cauſa interna.

4 Nulla differentia eſt directè in ſerie prædicamentali, ſed ſolùm indirectè & collateraliter.

5 Omnis differentia immediatè de uno prædicatur, nempe de ſpecie, mediatè de pluribus.

6 Nulla differentia prædicatur ſecundum magis & minùs de ea ſpecie cujus eſt differentia.

Dictum

Dictum est autem (in secunda definitione differentiæ) speciem continere differentiam, quam non continet genus: hoc ut intelligatur advertenda est hæc distinctio.

Aliquid dicitur continere aliud dupliciter.

1 *Actu*, & sua essentia, seu in *se*: & sic species continet differentias omnes se constituentes, & superiora omnia continentur ab inferioribus.

2 *Potestate*, & in suo ambitu, seu *sub se*: & sic genus continet species, & differentias divisivas, & inferiora omnia sic continentur potestate in superioribus.

Species continet plures differentias *in se*, & in sua essentia, & actu, quàm genus: sed genus plures differentias potestate & *sub se*, ac in suo ambitu quàm species: quare species superat genus continendo actu; genus superat speciem continendo potestate.

Quid sit prædicari *in quale* nunc dicam.

Prædicari in quale est prædicari de aliquo essentialiter, ità ut respondeamus ad quæstionem factam per quale essentialiter: ut, si quæratur quæstione essentiali (atque post quæstionem quid, cui per genus respondetur, quæritur quale,) tum respondendum est per differentias: ut, si quæratur *quid sit homo*, respondendum; *est animal*: si quæratur *quale animal*, respondendum; *est animal rationale*.

CAPUT. 5.

De Proprio.

PRoprium est quadruplex.

1 Quod convenit *soli*, etsi *non omni*: ut, *esse medicum*,

dicum, seu mederi ex arte & scientia, convenit solùm *homini*, sed non omni: Et hoc est in Quinto prædicabili.

2 Quod convenit *omni*, etsi *non soli*: ut *aptum esse habere duos pedes*: nam convenit *omni homini*, sed non soli, quandoquidem *aves* etiam sunt *bipedes*: Et hoc similiter est in Quinto prædicabili.

3 Quod convenit omni & soli, sed non semper: ut *canescere* convenit *homini*, sed solùm in senectute, non autem semper: Et hoc est in Quinto prædicabili.

4 Proprium *quarto modo* solùm est in hoc Quarto prædicabili, de quo videnda sunt tria.

Proprium quid.

1 Quomodo definitur: *definitur* dupliciter,

1 Proprium, est universale quod convenit omni, soli, & semper, accidentaliter, & necessariò, seu conversim: ut *risibile* est proprium *hominis*.

2 Proprium, est universale, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero in quale accidentaliter, necessario, & conversim: ut *risibile* de *hominibus*.

Quotuplex.

2 *Quotuplex* sit, estque duplex,

1 *Genericum*, quod fluit ab essentia speciei subalternæ, vel generis summi; & hoc semper prædicatur de pluribus speciebus.

2 *Specificum*, quod fluit ab essentiâ speciei infimæ: & hoc tantùm prædicatur de una specie, & pluribus individuis.

Regulæ de proprio.

3 Quæ sunt *regulæ* de proprio.

1 Omne proprium est accidens suæ speciei: sed proprium accidens, non commune.

2 Omne proprium convertitur & reciprocatur cum sua specie.

3 Nullum

3 Nullum Proprium prædicatur secundum magis & minùs. Illa dicuntur prædicari conversim & reciprocè quæ de se invicem dicuntur; & de quocunque prædicatur unum, de eodem prædicatur alterum.

Ac de Proprio quid sit, & quotuplex, & quæ sint ejus leges, dictum est.

CAPUT. 6.

De Accidente.

ACcidens sumitur dupliciter.

1 Pro omni eo quod non est de essentia alicujus rei; & sic *homo* est accidens respectu *domûs*, quia non est de essentia domûs, sic non hîc sumitur.

2 Pro eo solùm quod inest & inhæret in aliquo subjecto; & hoc est duplex,

1 *Proprium*, quod convertitur & reciprocatur cum sua Specie; & hoc est in Quarto prædicabili.

2 *Commune*, quod non prædicatur conversim; & hoc solùm est in hoc Quinto prædicabili; de quo videndum est,

1 *Quid sit*, & quomodo definiatur; definiri potest tribus modis:

1 Accidens, est universale quod potest abesse & adesse, sine subjecti interitu in quo inhæret. *Ut*, *album* adest *homini*; sed potest abesse interim ut maneat *homo*. *Accidens quid.*

2 Accidens, est universale, quod neque est Genus, neque Species, neque Differentia, neque Proprium: semper autem inhæret in Subjecto.

3 Accidens, est universale, quod prædicatur de pluribus differentibus specie vel numero in quale accidentaliter, & non converbum, ut *album* est accidens *hominis*.

Accidens duplex.

2 *Quotuplex*, est autem duplex:

1 *Separabile*, quod actu & revera separari potest à suo subjecto cui inhæret; ut, *album* potest abesse ab *homine*.

2 *Inseparabile*, quod actu & revera seperari non potest à subiecto cui inest, mente tamen & intellectu potest abesse; ut, *nigredo ab Æthiope*, *albedo à cygno*.

Regula accidentis.

3 Quæ sint ejus *affectiones*; sunt autem sex.

1 Omne Accidens est in aliquo subjecto, eique semper inhæret.

2 Omne Accidens si separetur à subjecto cui inest semel, tum interit.

3 Nullum Accidens ab uno subjecto in aliud migrat.

4 Aliqua accidentia prædicantur secundū magis & minùs, sed non omnia: ut, *albedo* & quædam *qualitates* sic prędicantur, sed non *quantitas*, &c.

5 Omne Accidens est posterius naturâ suo Subjecto.

6 Quicquid inest in subjecto est Accidens.

Sed ut hæc quæ ante dicta sunt meliùs innotescant, separari actu & intellectu quid sit declarabimus. (Quid sit inesse seu inhærere poste à dicemus, quùm ad Anteprædicamenta veniemus.)

Separari actu quid.

Separari à Subjecto actu & revera est reipsâ subjectum carere suo accidente: ut quando homo fit calidus à frigido, revera tollitur frigus.

Separari

Separari intellectu, non est intelligere subjectum carere suo accidente; aut esse sine eo (sic falsum putarem) sed est intelligere subjectum non intelligendo accidens: ut si quis intelligat *Socratem esse hominem*, nihil autem cogitet de *colore* suo, aut de *doctrinâ*, aut de *quantitate Socratis*, tum separat ista intellectu, ita ut intelligatur subjectum, non intelligendo accidens, aut nihil de accidente cogitando. *Separari intellectu quid.*

Atque de Accidente quid sit, & quotuplex, & quæ illius leges hæc dicta sunto.

Tantum de quinque Universalibus.

Finis Prædicabilium.

LIBER SECUNDUS.

AGgrediamur nunc librum *Aristotelis* de *Categoriis*, seu Prædicamentis.

Liber *Aristotelis* de Categoriis dividitur in
- 1 *Antepræd icamenta*, quæ cognoscenda sunt ante ipsa prædicamenta, quia maximè illustrant cognitionem prædicamentorum.
- 2 *Prædicamenta*, quæ sunt decem classes, ad quas omnia alia sunt reducenda.
- 3 *Postprædicamenta*, quæ postprædicamenta tractanda sunt, quia cognitionem perfectam prædicamentorum sine his assequi non possumus.

De Antepræd icamentis 1. est agendum.

Antepræ-
- 1 Definitiones; quæ sunt tres.
  - Æquivocorum.
  - Univocorum.
  - Denominativorum.

dicamenta sunt tria. { 2 Divisiones, & hæ sunt duæ. { 3 Vocum. Rerum. } 3 Regulæ, quæ sunt duæ. { Prima. Secunda.

CAPUT. 1.

De Æquivocis.

DE Æquivocis primò agendum, de quibus hæc tria sunt explicanda.

1 Quid sint Æquivoca, seu quomodo definiantur.
2 Quotuplicia sint æquivoca.
3 Quæ sint leges de æquivocis.

Æquivocum quid.

1 Quod ad primum attinet, Æquivoca sic definiuntur; *Æquivoca sunt, quorum nomen solùm est commune, ratio autem illius nominis est alia atque alia*: ut *animal* illud *domesticum* dicitur *canis*; atque *Sydus cœleste* dicitur *canis*: *canis* est nomen commune utriusque: sed animal domesticum dicitur canis unâ ratione, quia est animal latrabile; Sydus cœleste aliâ ratione, quia est cani analogum: sic *homo vivus & pictus* conveniunt nomine, sed ratione nominis differunt. Ratio nominis, hoc loco non semper significat essentialem definitionem, sed conceptum mentis nostræ per illud nomen.

Æquivocum duplex.

Æquivoca sunt duplicia. { 1 *Æquivocantia*, quæ sunt voces ipsæ æquivocæ significantes res diversas æquivocè: ut *canis* est æquivocum æquivocans respectu canis *animantis latrabilis*, & canis *Syderis Cœlestis*. 2 *Æquivocata*, sunt res ipsæ quæ sub nomine æquivocante continentur; ut *animal latrabile* & *Sydus cœleste* sunt æquivoca æquivocata respectu canis.

Definitio

Definitio data de æquivocis potest de utrisque intelligi, vel de æquivocis æquivocantibus, vel de æquivocis æquivocatis, sed potiùs de æquivocis æquivocatis.

Æquivoci leges.

3 *Leges* Æquivocorum sunt istæ,

1 Æquivocæ voces si non distinguantur, & in uno sensu sumantur, nullus sunt usûs in ullâ scientia.

2 Æquivoca æquivocantia sunt in nullo prædicamento.

3 Æquivoca æquivocata possunt esse in prædicamento.

4 Idem non potest esse æquivocum æquivocans & æquivocatum.

5 Omne Analogum est æquivocum.

6 Analogum per se positum stat pro suo significato famosiori.

Ad explicandas duas ultimas leges, duo sunt tradenda,

1 Quid sint Analoga.
2 Quotuplicia.

Analogum quid.

1 *Analoga* sunt, quorum nomen, etsi sit commune, ratio tamen ejus est prius aut perfectiùs in uno membro Analogato, quàm in alio.

Analogum quotuplex.

Unde Analoga sunt triplicia.

1 *Inæqualitatis* seu propria, quæ eandem habent rationem in omnibus propriè repertam, inæqualiter tamen perfectam in inferioribus: hinc Analoga secundùm esse dicuntur, quòd perfectiùs *existunt* in una specie quàm in alia: ut *ens* respectu *Dei & creaturæ, substantiæ & Accidentis.*

2 *Attributionis* seu impropria, quorum ratio Analoga uni convenit priùs intrinsecè & propriè, alijs verò metaphoricè:

phoricè: sic *risus* convenit *homini propriè*, *pratis* verò *metaphoricè*; & de his datur regula sexta.

3 *Proportionis*, quando similis vel æqualis ratio invenitur in uno vel pluribus, quæ priùs inerat alio uno vel pluribus: Ut; *inter* 2. 4. 8. est ratio Analoga subdupla: *sicut navem Nauclerus, sic Rex gubernat Rempub.*

Huc referantur locutiones omnes metaphoricæ; Allegoricæ, &c.

Hæc de Æquivocis, & obiter de Analogis.

CAPUT. 2.

De Univocis.

De univocis hæc tria sunt consideranda.

1 Quid sint.
2 Quotuplicia.
3 Quæ sint leges Univocorum.

Univocum quid. *Univoca* autem sunt, *res illæ quorum nomen est commune, & illius nominis ratio est una & eadem in utrisque*: ut nomen *animalis* est commune *homini & bruto*: & ejus ratio seu definitio: nam tàm *homo* quàm *brutum*, est *corpus animatum sensibile*. Ubi notanda sunt hæc tria. 1 Quòd sunt *res* non solùm voces. 2 Quòd *nomen* iis sit *commune*. 3 Quòd *ratio* nominis seu definitio, vel conceptus univocus sit *communis*.

Univocum quotuplex. Univoca sunt duplicia.

Univocantia, quæ sunt ipsa universalia, quorum tàm nomen quàm natura est communis inferioribus: ut, *animal*.

Univocata, quæ sunt res ipsæ quæ sub

sub univoco univocante continentur: ut *homo* & *brutum*.

1 Omne univocum est in prædicamento vel directè vel indirectè.

2 Solum univocum est in prædicamentis.

3 Idem potest esse univocum & æquivocum diversa ratione: ut *animal* est univocum respectu *hominis* & *bruti*: æquivocum æquivocatum respectu *animalis* quod continet & *vivum* & *pictum animal*.

Leges univocorum sunt sex.

4 Omne superius est univocum univocans respectu inferioris.

5 Omne inferius est univocum univocatum respectu superioris.

6 Idem potest esse univocans & univocatum respectu diversorum: ut, *homo* est univocans respectu *Socratis* & *Platonis*, est univocatum respectu *animalis*.

Univocorum leges.

1 Definitio univocorum potest accipi vel de univocis univocantibus, vel de univocatis: sed potiùs intelligenda sunt univocata.

2 Per rationem nominis, non est intelligenda definitio; (nam omnia univoca aiqn. prædicantur secundùm definitionem essentialem: ut summa genera) sed conceptus univocus, ubi deest definitio essentialis.

Hic quædam sunt notanda.

3 Univoca sic dicuntur secundum nomen & definitionem; ut nomen univocantis sit nomen univocati, & ratio univocantis sit ratio univocati.

Univoca

Univoca sumuntur dupliciter.
- 1 *Generaliter*, pro omni eo quod non est æquivocum; & sic omnia prædicantur univocè, quæ non prædicantur æquivocè; & sic sumitur *prædicari univocè* suprà in definitione Universalis.
- 2 *Specialiter*, pro eo quod nec est æquivocum, nec denominativum; & sic nulla denominativa prædicantur univocè.

CAPUT. 3

De Denominativis.

De Denominativis etiam hæc tria sunt observanda.
1. Quid sint.
2. Quotuplicia.
3. Quæ sint eorum leges.

Denominativum quid.

Sunt autem Denominativa, *Accidentia quæ oriuntur ab uno, & secundum vocem, & rem seu significationem, & variè terminantur in fine*: ut *albus ab albedine, fortis à fortitudine*. Unde quatuor hîc sunt notanda. 1. Quòd sunt *accidentia*: quare nullæ substantiæ sunt denominativa. 2. Quòd denominativum oriatur ab alio, viz. à denominante, quoad significationem & *rem*, ut *albus* habet significationem ab *albedine*. 3. Quòd denominativum oriatur ab alio, viz. à denominante, quoad *vocem*, ita ut initio voces conveniant: ut, *fortis* à *fortitudine*. 4. Quòd *fine discrepent*, id est, finali terminatione.

1 *Voce* tantùm, quæ quoad vocem sunt denominativa, non quoad significationem; ut *Somnolentus* & *Somnus*: nam quoad vocem conveniunt initio, sed non dicitur somnolentus à somno, sed à somnolentiâ.

2 *Re*

Sunt autem Denominativa triplicia,

2 *Re* tantùm, quæ quoad vocem non videntur denominativa, ſed quoad ſignificationem & rem ſunt: ut *ſtudioſus* eſt denominativum à *virtute*, quia licèt ſtudioſus non oriatur quoad vocem à virtute, inde tamen homo verè dicitur ſtudioſus: nam virtuoſus barbarè dicitur.

3 *Re* & *voce* ſimul, quæ utroque modo denominantur, quæque habent has propoſitas conditiones: hæc ſolùm hîc definiuntur.

Denominativum quotuplex.

Leges ſeu conditiones Denominativorum ſunt novem.

1 Ut fiat denominatio tria requiruntur.

1 *Denominans*, quod eſt forma in *abſtracto*, à qua fluit & oritur denominatio: ut *albedo*, *doctrinâ*, *nigredo*.

2 *Denominativum*, quod eſt forma in *concreto* per quod fit denominatio de ſubjecto: ut, *albus*, *doctus*, *niger*.

3 *Denominatum*, quod eſt ipſum *ſubjectum* quod denominatur per illam formam, ut *homo*, *paries*.

Leges de denominativis.

2 *Concretum* & *abſtractum* (quæ voces ſæpiſſimè occurrunt) partim conveniunt ſcil. naturâ & eſſentiâ & in principali ſignificatione; eandem enim naturam accidentalem ſignificant: ut, *albus* & *albedo* differunt non naturâ & eſſentiâ, ſed accidente ſcil. & reſpectu quodam, & in minùs principali ſignificatione. Nam abſtractum ſignificat formam accidentalem, ut abſtrahitur à ſubjecto (non quoad inhæſionem, nam ſic non abſtrahitur, ſed) quoad prædicationem & denominationem, quia non denominat ſubjectum: ut non dicimus *homo eſt albedo*, *paries eſt albedo*. Concretum ſignificat eandem naturam

tum ut concernit subjectum tam quoad inhæsionem, quàm quoad prædicationem: & ideo dicitur concretum à concernendo: ut *albus* dicitur de *homine*, non *albedo*.

3 Omne accidens est vel denominans, vel denominativum; accidens enim est vel abstractum vel concretum.

4 Omne accidens abstractum est denominans, non denominativum.

5 Omne concretum accidens est denominativum non denominans.

6 Nullum denominativum, neque denominans est de essentia ejus denominati. Unde hæc sunt denominativa quoad vocem & speciem, non quoad rem: *Linea est quanta*, quia quantitas est de essentia lineæ.

7 Nullum denominativum in vera denominatione, & secundum rem, potest esse inferius suo denominante in serie prædicamentali.

8 Unum & idem potest esse univocum & denominativum, sed diverso respectu & ratione: ut *coloratum* est denominativum respectu *hominis*, & univocum respectu *albi* & *nigri*.

9 Denominativa non prædicantur de denominatis secundum nomen, & secundum nominis rationem & definitionem, nisi hoc fiat accidentaliter & denominativè: & hoc est discrimen inter denominativa & univoca, quòd univocum convenit secundum nomen, & rationem nominis, ità ut ratio, & nomen, & definitio univoci, sit nomen & ratio seu definitio univocati; sed *album* & *homo non sunt univocata*, nam ratio albi nunquam erit ratio seu definitio hominis.

CAPUT. 4.

De prima divisione Antepræ dicamentali.

POst definitiones Antepræ dicamentorum pergendum est ad *divisiones*.

In *prima Divisione* ostendenda sunt tria. *Prima divisio.*

1 Quid sit Divisum: est enim *vox* seu dictio quæ proferri potest incomplexè.
2 Quæ sint membra dividentia.
3 Quæ sint illius leges.

Est autem *Dictio* seu *Vox* alia,

1 *Complexa*, quę triplex est.

1 *Voce* tantùm: quando plures voces significant unam rem; ut, *Corpus animatum* significant unum rem: his duabus vocabulis expressam, nempe *animal*.
2 *Re* tantùm, quando una vox significat multas & diversas res, ut, *canis* est una vox, sed habet plures significationes: sic omne æquivocum æquivocans est complexum re. *Vox quotuplex.*
3 *Re & voce* simul quando plures sunt voces, & illæ plures voces plures res significant; ut *homo doctus* significans substantiam & qualitatem.

2 *Incomplexa* seu simplex, quę est triplex.

1 *Voce* tantùm, quando una vox significat multas res; ut *canis*, & omne æquivocum æquivocans.
2 *Re & significatione* tantùm, quando plures voces

voces significant unam rem, ut *corpus animatum*.

3 *Re & voce* simul, quando una vox significat unam tantùm rem, ut, *homo, animal*.

3 *Leges* sive regulæ de prima divisione sunt quatuor.

Vocis leges

1 Idem potest esse complexum, & incomplexum, sed diverso respectu & modo: ut, complexum voce tantùm, est re incomplexum; & complexum re tantùm, est voce incomplexum.

2 Idem nunquam potest esse complexum re, & incomplexum re & voce.

3 Nullum complexum re tantùm, aut re & voce simul est in prædicamentis per se: potest autem inesse gratiâ partium: ut, *homo doctus*, per se est in nullo prædicamento sed gratiâ partium: v. g. est in *Substantia* gratiâ *hominis*, & gratiâ *docti* est in *qualitate*.

4 Nullum incomplexum voce tantùm est in prædicamento: sed incomplexum re tantùm, aut re & voce potest esse in prædicamento.

CAPUT. 5.

De secunda Divisione Anteprædicamentali.

SEcunda Divisio Anteprædicamentalis est distributio rei in *Substantiam & Accidens*.

In hac divisione observandum est. { 1 Quid sit Divisum, illud autem est *Ens, res*, vel id quod *Est*.
2 Quæ sit Divisio Entium.

Entium

Entium autem alia
- 1 Non sunt in subjecto, & tum sunt *Substantiæ*: eæque vel
  - 1 Dicuntur de Subjecto: & tum sunt Substantiæ *universales*: ut *homo*.
  - 2 Non dicuntur de Subjecto; & tum sunt Substantiæ *particulares*: ut *hic homo*.
- 2 Sunt in Subiecto, & tum sunt *Accidentia*: eaque vel
  - 1 Dicuntur de Subiecto: & tum sunt accidentia *universalia*: ut *albedo*.
  - 2 Non dicuntur de Subjecto, & tum sunt accidentia *particularia*: ut, *hoc album*.

Divisio Entium.

Ut autem intelligatur hæc secunda divisio, explicanda sunt hæc tria.
1 Quid intelligatur per Subiectum.
2 Quid sit inesse in Subiecto.
3 Quid sit dici de Subiecto.

Subiectum est duplex.

1 *Inhæsionis*: cui aliquod accidens inhæret: ut *paries* est Subiectum inhæsionis *albedinis*: & solùm accidentia habent tale Subiectum, nulla autem Substantia.

Subiectum quotuplex.

2 *Prædicationis*: de quo aliquid prædicatur essentialiter: & sic omne inferius est Subiectum superioris; & tale Subiectum habet tàm substantia universalis, quàm accidens universale.

De Subiecto observandæ sunt hæ quinque *Leges*.

Regulæ de Subiecto.

1 Omne Accidens habet suum Subiectum inhæsionis.

2 Nulla Substantia habet Subiectum inhæsionis.

3 Omne superius in serie habet Subiectum prædicationis.

4 Nullum Individuum habet Subiectum prædicationis, præter identicum.

5 Idem

5 Idem potest esse Subjectum inhæsionis & prædicationis, sed diverso respectu & ratione: ut *Socrates* est subjectum *inhæsionis* respectu *albedinis*: & subjectum *prædicationis* respectu *hominis*.

Nota. De subjecto dixi quotuplex sit: Ia nunc observandum est: semper cum dicitur *inesse in* Subjecto, intelligi subjectum inhæsionis: & semper cùm dicitur *dici de* subjecto, intelligi subjectum prædicationis.

Inhærere quid. 2. Nunc ostendam quid sit inesse in aliquo Subjecto.

Inesse igitur *in* Subjecto seu inhærere, est inesse in aliquo, non ut pars alicujus cui inest, nec ut potest separari ab eo cui inest, interim ut maneat ipsum: Ita omnia accidentia insunt in subjecto.

In hac definitione hæc duo sunt advertenda.

1 *Definitum* ipsum, quod est *Inesse* in Subjecto seu inhærere.

Definitio cujus sunt duæ partes utræque explicandæ. 1. *Genus*, quod est inhærere seu inesse in aliquo. 2. *Differentia*, cujus duæ sunt partes. 1. Quòd insit, non ut pars. 2. Quòd non possit separari & sejungi, interim ut maneat accidens ipsum.

Ut intelligatur genus nempe *Inesse* in aliquo, advertenda est hæc distinctio inesiendi.

Inesse octo mo-

1 Pars in toto, perfectivè; sic *manus* dicitur inesse *homini*.

2 Totum in partibus, comprehensivè; sic *homo* dicitur inesse omnibus *membris*.

3 Species in Genere, potestativè; sic *homo* in *Animali*.

4 Genus in Specie, actualiter; sic

dis aliquid dici potest: vel ut
- sic *animal* in *homine*.
- 5 Rex in regno, authoritativè.
- 6 Res in fine eminenter; sic *virtus* dicitur inesse in *fœlicitate*.
- 7 Locatum in loco, circumscriptivè; sic *Socrates* in *aere* aut in *domo*.
- 8 Accidens in Subjecto, inhæsivè; sic *calor* in *igne*: juxta Distichon.

Insunt, Pars, Totum, Species, Genus: & calor igne: Rex in regno: Res in fine: Locoque locatum.

Ex his octo modis solus unus est quo aliquid dicitur inesse Subjecto: nempe *quintus* in versu, & is dicitur inhærere, atque est illud quod dici potest esse in subjecto in oratione priori: Genus autem est *(inesse in* alio) quod continet hos octo modos, ita genus ad septem alios modos extenditur, præter huc qui definitur. Ac de Genere, quod est *inesse* in alio, hæc dicta sunt.

Differentia pars prima.

Venio ad differentiam Ejus: prima pars est; Illud quod inest in subjecto, non inest *ut pars*: Quare advertenda est hæc distinctio partis.

Pars est triplex.
- 1 *Integralis*, quâ Totum sit integrum, & sine quâ integrum non est; sic *manus* est pars (non essentialis, sed) *integralis hominis*.
- 2 *Subjectiva*, quæ alicui directè subjicitur in serie: sic *homo* est pars *subjectiva animalis*.
- 3 *Essentialis*, quæ est de essentiâ alicujus: ut *animal* est pars *essentialis hominis*: sic Genus, & Differentia semper sunt partes essentiales Speciei.

Pars est triplex.

Totum

Totum triplex.

Totum itidem est triplex.

1 *Integrale*, quod constat ex partibus integralibus; ut, *Socrates*, & omne individuum.

2 *Universale*, quod constat ex partibus subiectivis; sic omne *Genus* in serie.

3 *Essentiale*, quod constat ex partibus essentialibus; sic omnes *Species* in serie.

Nulla pars, neque integralis, neque essentialis, neque subiectiva, est *in* suo *toto*, (ut accidens in subiecto,) quare cùm dicitur id quod inhæret, *non sit pars*: Sensus est, quod neque est pars integralis, neque subiectiva, neque essentialis eius cui ineſt. Immo neque debet esse pars alterius tertii cùm eo: Unde *anima bruti* & cæteræ formæ materiales non sunt in corpore aut materiâ, sicut accidens in subiecto: quia etsi non sunt partes materiæ, tamen cum materia constituunt *aliud tertium*, sc. compositum.

Differentiæ pars secunda.

Pergo ad tertiam particulam definitionis, quæ est, quòd (*non possit separari & sejungi ab eo cui ineſt*) cui particulæ duplex cautio adhibenda est: Prima, quòd non possit separari & seiungi, nec ab eo toto, nec ab ulla parte illius, *in aliam*. Secunda, quòd si separetur vel à toto, vel à parte cui ineſt, *tum interire*, non manere: nam antea diximus in capite de Accidente, Accidens ab uno in aliud Subiectum non migrare.

Leges de ineſſe.

Observentur hæ tres *Leges* de iis quæ insunt.

1 Omne quod ineſt in Subiecto est Accidens.

2 Omne Accidens ineſt in Subjecto inhæsionis, quod est Substantia.

3 Quandocunque fit mentio inesſendi

essendi in Subjecto, intelligendum est semper Subjectum inhæsionis.

Nunc dicendum est quid sit *dici de* Subjecto in hac Divisione.

Aliquid *dicitur* de alio dupliciter.

1 *Essentialiter*, quod est de essentiâ illius de quo dicitur: & hoc semper prædicatur de Subjecto prædicationis.

2 *Accidentaliter*, quod est accidens ejus de quo dicitur: & hoc semper dicitur de Subjecto inhæsionis.

Hic observandę sunt quinque *Leges*.

1 Cum dicitur, *dici de* Subjecto: in hâc divisione semper intelligendum est dici essentialiter, & de Subiecto prædicationis.

2 Semper cum dicitur inesse in Subjecto, intelligendum est accidentaliter inesse, & subjectum inhæsionis.

3 *Dici de*, notat universale: ergo quicquid dicitur *de* est universale. *Leges de Dici de subiecto.*

4 *Inesse* in notat Accidens.

5 Divisionis summa est hæc, quod omne ens sit

vel
- Substantia, eaque vel
  - Universalis.
  - Particularis.
- Accidens, idque vel
  - Universale.
  - Particulare.

Juxta versiculos.

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum
In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

nempe in
- Substantiam
- &
- Accidens.

Atque hæc dicta sunto de secundâ divisione Anteprædicamentali.

CAPUT. 6.

De prima Regula Anteprædicamentali.

1 Regula Anteprædicamentalis.

Regula prima Anteprædicamentalis est. *Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto etiam illius prædicati*: ut, quicquid dicitur *de animali*, dicitur de omni subjecto animalis, id est, *de homine*, &c.

Ubi observanda sunt quatuor sequentia,

1 Per *prædicari* in primo loco, intelligi prædicari essentialiter; ut accipitur in Divisione secunda.

2 Per *prædicari* in secundo; in illis verbis (*etiam prædicatur de Subjecto,*) intellige prædicari essentialiter, vel accidentaliter.

3 Regulam istam in essentialibus nunquam fallere.

4 In accidentalibus etiam prædicatis tenere regulam, si prius *prædicari* rectè sumatur, aliàs non valere; unde hoc argumentum non sequitur, *Species* prædicatur de *homine*, *homo* prædicatur de *Socrate*, ergo *Species* prædicatur de *Socrate*: Species enim non prædicatur de *Socrate*, nam Species prædicatur accidentaliter de homine. Tamen hæc oratio valet, *Quale* prædicatur de *Colorato*, *Coloratum* prædicatur de *homine*, ergo *quale* prædicatur de *homine*; quia prædicari primo loco sumitur essentialiter:

sentialiter: etsi secundo loco sumatur accidentaliter.

CAPUT. 7.

De secunda Regula Antepradicamentali.

Regula secunda Antepradicamentalis ex duabus partibus constat. *2 Regula Antepradicamentalis.*

Prima; *Genera Subalterna habent easdem Species & Differentias:* ut corpus & animal habent easdem differentias.

Secunda; *Genera non Subalterna non habent easdem Species & Differentias:* ut Substantia & Qualitas.

Genera *Subalterna* sunt quorum unum sub altero collocatur: ut *animal* continetur & collocatur sub *corpore*.

Genera *non Subalterna* sunt quorum neutrum sub altero collocatur: ut *animal* & *planta* sunt non subalterna inter se.

Subalterna habent differentias nempe

1 Easdem aliquas constituentes: Ita ut quicquid constituit superius, constituat etiam inferius, sed non contrà.

2 Easdem dividentes aliquas, non omnes; ut quicquid dividit inferius dividat superius.

3 Diversas constituentes proximas: ut quæ sit differentia constitutiva unius, non sit differentia constitutiva proxima alterius.

4 Diversas dividentes proximas: ut quæ sit differentia divisiva proxima unius, non sit divisiva proxima alterius.

Non Subalterna

1 Si sint in diversis prædicamentis tum nullas habent differentias easdem, nec divisivas, nec constitutivas.

2 Si sint in eodem prædicamento, tum habent semper diversas differentias constituentes proximas, & diversas differentias dividentes proximas: Easdem verò differentias constituentes aliquando; ut *animal* & *planta* habent eandem differentiam constituentem *remotè*; nempe *corporeum*, seu *animatum*.

Ex hâc tabellâ patet per species, quas differentias easdem, & quas diversas habent genera subalterna; quas, non subalterna. Teneantur verò hæ duæ propositiones. Prima, quicquid constituit superius constituit inferius. Secunda, quicquid dividit inferius, dividit superius.

Finis Anteprædicamentorum.

CAPUT. 1.

De Prædicamentis in genere.

HActenus de Anteprædicamentis dictum est. Nunc dicendum est de *Prædicamentis*, quæ tractantur dupliciter:

1 Generatim; ubi tria consideranda sunt,
- 1 Quid sit *Categoria*, seu prædicamentum.
- 2 Quotuplex sit, seu quot sunt prædicamenta.
- 3 Quæ sunt illius Leges.

2 Speciatim seu sigillatim, ubi de singulis agendum est.

Categoria

Categoria (seu prædicamentum) est series seu ordinatio recta rerum, quæ in ipso collocantur; scilicet. *Generum*, *Specierum*, & *Individuorum*, secundum *sub* & *supra*; & *differentiarum* positarum *à latere*, & *quorundam reductivè*. *Prædicamentum quid.*

Unde aliquid dicitur esse in prædicamento tripliciter.

1 *Directè*, quod est vel summum Genus, vel de quo summum Genus prædicatur essentialiter; atque sic collocantur omnia *Genera*, omnes *Species*, & omnia *Individua*.

2 *A latere*, de quo summum Genus non dicitur, nec prædicatur, tamen illud dividat Genera & constituat Species: sic solùm collocatur *differentia essentialis*.

3 *Reductivè*, quod ad prædicamentum reducitur: sic *materia* & *forma* sunt in *Substantia*: *punctum* & *unitas* in *quantitate*; & semper *proprium* est in eodem prædicamento ubi est ejus *Species*.

Quid sit prædicamentum jam diximus: ostendendum nunc quotuplex sit.

Sunt autem prædicamenta *decem*, quæ sic ad bimembrem divisionem reducantur. *Prædicamentum quotuplex.*

Omne *ens* finitum & limitatum, vel

1 Non est in subjecto: & tum est primum prædicamentum, *Substantia*.

2 Est in Subjecto, estque *Accidens*, idque vel

1 *Absolutum*, cujus natura non ponitur in respectu; & illud vel denominat subjectum

Quantum, & est *Quantitas*.

Quale, & tum est *Qualitas*.

1 *Esse*, cujus natura in respectu alterius constat

constat: & tuna est *Relatio.*

2 *Respectivum*, quod ad aliud refertur; idque vel secundùm

2 *Dici*, quod secundum naturam non refertur ad aliud, & est unum ex *sex* posterioribus prædicamentis.

Atque hæc decem prædicamenta (scilicet, 1 Substantia. 2 Quantitas. 3 Qualitas. 4 Relatio. 5 Actio. 6 Passio. 7 Quando. 8 Ubi. 9 Situs. 10 Habitus;) his versiculis comprehenduntur,

8 2 5 3 bus: 7

In Campo Magno Pugnabat Fortiter Olim

4 1 9 6 10

Filius Arnesti Stans & Calefactus in Armis.

Leges de prædicamentis.

Prædicamenti *Leges* quatuor observandę sunt:

1 Nullum Complexum, æquivocum, aut transcendens est in prædicamentis.

2 Omne reale, finitum, incomplexum, univocum, est in prædicamentis, vel directè, vel à latere, vel reductivè.

3 Individua sunt in prædicamento gratiâ specierum, non per se.

4 Nihil unum & idem numero potest esse in diversis prædicamentis, neque diversâ ratione, nec eâdem.

CAPUT. 2.

De Substantia.

Nunc de prædicamentis agendum est sigillatim, & primò de Substantia, de qua considerandum est

Substantia quid.

1 Quid sit. Atque sic definitur, *Substantia* est ens per

per se subsistens, non inhærens in alio: & per hoc ab omni alio distinguitur.

2 Quod sit *summum genus* in ejus serie, ad quod investigandum notandum est duplicem esse substantiam,

1 *Incompletam*, quæ non completur ex partibus, neque essentialibus, neque subjectivis; ut, *differentiæ substantiales*.

2 *Completam*, quę completur ex partibus vel essentialibus vel subjectivis, ut *homo*, estque duplex vel

1 Quæ nec dicitur de subjecto, nec inest in subjecto: Estque *Substantia singularis*, ut, *Socrates*.

2 Quæ dicitur de subjecto, & non inest in subjecto: Estque *Substantia Universalis*: & hæc est summum genus.

3 Post inventionem summi generis dicam proximo in loco, quæ sit *Series* Substantiæ.

Substantia autem est duplex,

1 *Incorporea*, ut *Spiritus*, & hic est vel

Bonus, ut, *Angelus* & *animæ sanctorum*.

Malus, ut, *Diabolus* & *animæ reproborum*.

2 *Corporea*, & est *corpus*, estque duplex,

1 *Simplex*, quod non componitur ex quatuor elementis, estque vel 1 *Æternum*, ut *Cœlum* quod complectitur 11 orbes cœlestes, quorum alii sunt 1 *Stellati*; ut, *Firmamentum*, & orbes planetarum, scilicet, *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, *Luna*. juxta versiculum,

Series substantiæ.

Post *SIM SUM sequitur ultima* Luna *subest*.

2 *Absque Stellis*, ut *Cœlum Empyræum*, *primum mobile*, & *Cœlum Chrystallinum*. Vel 2 *Caducum*, ut elementum, estque vel *Leve* quod sursum fertur; ut *ignis*

& aër: vel *Grave* quod deorsum fertur; ut *aqua* & *terra*.

¶ 2. *Mixtum*, quod constat ex quatuor Elementis: estque vel *Imperfectè mixtum*, ut omnia *meteora*, s. nubes, grando, nix, pluvia, gelu, &c. Vel *Perfectè mixtum*: idque vel *inanimatum*, ut lapides & omnia omnia, scilicet, aurum, aes, plumbum, &c. vel *Animatum*, ut vivens, quod est vel 1 *Insensibile*, ut planta, estque triplex. 1 *Arbor*, ut quercus, pinus, &c. 2 *Herba*, ut gramen, rosa, &c. 3 *Frutex*, ut thymus, hyssopus. Vel 2 *Sensitivum*, ut animal, estque vel *Irrationale*, ut Brutum, quod est quadruplex. 1 *Terrestre*, ut Leo, 2 *Aquatile*, ut Piscis, 3 *Volatile*, ut avis, 4 *Reptile*, ut vermis. vel *Rationale*, ut homo.

Antequam progredimur ad proprietates, advertendæ sunt hæ sex propositiones.

1 Divisio substantiæ in completam & incompletam, itemque in primam & secundam est divisio *vocis* in suas significationes, non generis in suas species.

2 Divisio substantiæ in corpoream & incorpoream, est divisio *generis* in suas species, aut univoci in suas univocata.

3 Substantia derivatur vel à *substando*, & sic illud dicitur substantia quod maximè & primò substat accidentibus, & sic sumitur in ea divisione substantiæ in primam & secundam: vel à *subsistendo*, & sic illud dicitur substantia, quod per se subsistit, & sic dividitur in corpus & spiritum.

4 Sublatis primis substantiis actu & reverà, tolluntur omnes secundæ substantiæ actu, & accidentia omnia quoad *existentiam*.

5 Sublatis primis substantiis & inferioribus non tolluntur secundæ substantiæ *intellectu* & mente; ut possumus naturam universalem considerare *mente*, non

non consideratis singularibus.

6) Substantia prima magis est substantia, quàm secunda, ut derivatur à *Substando*, non à subsistendo: Nam *prima* priùs substat accidentibus.

Dicendum nunc est de proprietatibus Substantiæ, sunt autem sex.

1 *Substantia nulla est in Subjecto*, quia esse in subjecto notat accidens, nulla autem substantia est accidens: hæc proprietas convenit substantiæ in Communi (quæ complectitur tam completam quàm incompletam) quarto modo, scilicet convenit omni, soli & semper. Sed est proprietas substantiæ completæ, secundo modo, conveniens (scilicet) omni, non soli. *Proprietates Substantiæ.*

2 *Convenit Secundis Substantiis eò quòd earum differentiis prædicari univocè de Primis*, hæc convenit omni secundæ substantiæ, non soli, sed etiam differentiæ.

3 *Substantia prima significat hoc aliquid.*

Significare *hoc aliquid* sumitur dupliciter.

1 *Communiter*, pro eo quod est significare rem *singularem*: & sic *hoc album* significat *hoc aliquid*.

2 *Strictè*, pro eo qd est significare rem particularem *per se subsistentem*; idque dupliciter.

1 *Propriè*, ut illud quod significat particulare aliquid per se, ut *Socrates*.

2 *Figuratè*, seu per figuram Appellationis, quando communi nomine appellamus rem singularem, ut veniente *Socrate* dicimus, *homo venit*; sic homo significat rem particularem, per figuram: Nam omnis substantia completa significat hoc aliquid strictè; vel propriè, vel figuratè. Secunda substantia significat solùm figuratè; prima verò propriè.

4 *Substantiæ*

4 *Substantiæ nihil est contrarium.* Nec accidens nimirùm nec substantia; quod ex definitione Contrariorum apparebit. (*Contraria sunt formæ accidentales positæ sub eodem genere, maximè à se invicem distantes, quæ expellunt se mutuo ab eodem subjecto, cui vicissim inesse possint, nisi alterum insit à natura.*) Substantiæ primæ & secundæ non sunt formæ accidentales, nec possunt inesse in ullo subjecto, ideo non sunt contrariæ. Est autem hoc proprium secundo modo, conveniens omni substantiæ non soli, nam convenit etiam qualitati & aliis quibusdam accidentibus.

Contraria quid.

5 *Substantia non suscipit magis & minus.* Suscipere magis & minùs est intendi & remitti. *Intentio* est acquisitio partium plurium gradualium in eadem parte subjecti; ut cum manus calida in quarto gradu recipit calorem in eadem parte in octavo gradu, calor tum intenditur. *Remissio* est deperditio partium gradualium in eadem parte subjecti. Jam verò substantia nullos gradus habet, ideò nec intenditur nec remittitur: hoc autem convenit omni substantiæ non soli.

Quid sit suscipere magis & minus, intendi & remitti.

Hoc ut clarius elucescat observandæ sunt duæ sequentes distinctiones.

Prima.

Aliquid dicitur *contrariari*, aut *intendi*, & *remitti* duplicitèr,

1 *Subjectivè*, quod est subjectum in quo inhærent contraria, aut intentio & remissio? & sic *substantia suscipit contraria*, & *intentionem & remissionem*? Cùm omnia accidentia sint in substantia subjectivè, ità ut ipsa inhæreant vel per se vel per accidens,

2 *Terminativè*, quod est ille terminus qui contrariatur aliis, aut intenditur & remittitur: ut *Calor* est terminus qui contrariatur frigori: & sic

sic nulla substantia contrariatur, aut suscipit magis & minùs.

Substantia consideratur dupliciter, vel quoad modum *Secunda.*

1 *Substandi*, & sic illa magis est substantia quæ *pluribus* subsstat accidentibus aut quæ *priùs* subsstat; sic *prima* substantia est magis substantia quàm *secunda*.

2 *Subsistendi*, quod magis habet essentiam substantiæ, aut plures substantiæ gradus; & sic nulla substamia suscipit gradus: quandoquidem in substantia nulli sunt tales gradus.

6 *Maximè proprium est substantiæ ut cum sit una, & eadem numero, susceptibilis sit contrariorum cum sui mutatione: ut Socrates* modò est *albus* modò *niger*.

Ad plenioremhujus notitiam hæc quatuor sunt notanda.

1 Substantia omnis hîc est *eadem numero*, quæ est eadem naturâ & essentiâ singularis.

2 Per *contraria* intelligè non solùm adversa, sed etiam quævis *opposita* accidentia.

3 Per *suscipere contraria* intellige subjectum *inhæsionis ultimum* & principale: nam accidens potest esse subjectum non ultimum accidentis; seu ultimatum & minùs principale: quale est *Superficies* respectu *coloris*.

4 Per id quod dicitur *cum sui mutatione* excluditur *Oratio* & *Opinio*: nam contraria videntur inesse orationi, cùm modò sit vera, modò falsa: sed hæc conveniunt Orationi sine sui mutatione: nam ad mutationem rei mutatur veritas, non autem ad orationis mutationem. Hæc proprietas dicitur *maximè* competere substantiæ, quia convenit completæ substantiæ quamo modo. Nam omnia convenit posse

suscipere

susciperè contraria, non tamen quævis; sed aliqua substantiis singularibus insunt per se, aliis vero gratia singularium: convenit etiam solis, nam nullum accidens potest susciperè contraria ut subjectum ultimum & principale.

CAPUT. 3.

De Quantitate.

De Quantitate cognoscenda sunt tria.
1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quæ illius proprietates.

Quantitas quid.

Quantitas est accidens absolutum ex quo subjectum dicitur quantum, aut quotum.

Quantitas est duplex.

¶ 1 *Continua*, cujus partes communi termino copulantur, & hæc est duplex,

Quantitatis series.

1 *Successiva*, cujus partes in successione consistunt: & tum est *Tempus*.
2 *Permanens*, cujus partes simul manent in mensura: & hæc est vel,
1 *Extrinseca*: quæ mensurat aliud quàm subjectum in quo inest: & est *Locus* qui mensurat locatum.
2 *Intrinseca*: quæ mensurat illud in quo inest, idque tripliciter, vel.
1 *Unâ* dimensione, scil. longitudine sine latitudine: & hæc est *Linea*.
2 *Duabus* dimensionibus, longitudine & latitudine sine profunditate: & tum est *Superficies*.
3 *Tribus* dimensionibus, longitudine, latitudine,

&

& profunditate, & tum est *Corpus*.

¶ 2 *Discreta*, cujus partes communi termino non connectuntur, sed sunt discretæ: estque vel,

1 *Numerus* quæ est quantitas discreta constans ex multitudine unitatum.

2 *Oratio*, quæ est quantitas discreta mensurans longitudinem & brevitatem Syllabarum prolatarum.

Ad dictorum explicationem advertendæ sunt hæc undecem sequentia.

1 Omnis quantitas *mensurat* aliquid & quicquid mensurat aliquid per se est quantitas: hinc pondus excluditur, quod tametsi mensurat librata, hoc præstat non per se, sed ratione motûs & temporis; nam quo quid gravius est, eo velocius, & minori tempore movetur.

2 Omnis quantitas continua est *divisibilis* in partes infinitas, mentales scilicet & proportionales, non sensibiles.

3 *Terminus* communis est *indivisibile* quiddam connectens partes continuas.

Aliquid autem potest esse *indivisibile* dupliciter, vel

1 *Simpliciter*, quod *omni* modo est indivisibile, estque vel,
- 1 *Instans*, quod est terminus communis *Temporis*.
- 2 *Punctum*, quod est terminus communis *Lineæ*.

quorum utrûque vel est,
- 1 Inchoans.
- 2 Cõnectens
- 3 Terminans

de quo sermo est.

2 *Secundum quid*, quod est *uno* modo divisibile, *alio* modo indivisibile & tum est *divisibile* vel secundum
- 1 *Latitudinem*: ut *Linea*, quæ dividitur in longum, sed est indivisibilis in latum. Et est terminus communis *Superficiei, Locique*.
- 2 *Profunditatem*, ut *Superficies*

ficies quæ dividitur in Longam & Latam, sed non est profunda: & est terminus communis *Corporis*.

5 Una quantitas habet solummodò *unum* terminum communem & *proximum*.

6 Una quantitas potest habere *plures* terminos communes *remotos*: ut *Corporis* termini sunt *Superficies*, *Linea*, & *Punctum*.

7 Communis terminus *non est pars* quantitatis, nec ex eo quantitas componitur & constat.

8 Corpus sumitur dupliciter, vel pro
- 1 *Subjecto* trium dimensionum, & sic est *Substantia*, & in prædicamento Substantiæ.
- 2 *Ipsa trina dimensione*, quæ corpori substantiali ut Subjecto inest, & sic est *quantitas*, & in prædicamento quantitatis

9 *Locus* ut sumitur strictè non est distincta species à superficie in prædicamento quantitatis, sed ut sumitur pro *intervallo*; & idem ponitur ibi tantùm ex sententia aliorum.

10 *Numerus* sumitur dupliciter.
- 1 *Generaliter* pro omni *mensura*, & sic *Tempus* dicitur numerus ab *Arist.* (i.) mensura.
- 2 *Specialiter* pro eâ quantitate quæ ex *multitudine unitatum* conficitur: sic tolùm est discreta quantitas.

11 *Oratio* est quadruplex.
- 1 *Prolata*: quæ voce profertur, & hæc mensuratur: estque *Qualitas patibilis* in tertia specie qualitatis.
- 2 *Scripta*: quæ literis figuratur, estque *Substantia*.
- 3 *Mentalis*: quæ mente concipitur: estque *Qualitas*, & in tertiâ Specie.

4 *Quantitativa*

4 *Quantitativa*: quæ mensurat prolatam Orationem secundum longitudinem, & brevitatem Syllabarum prolatarum: & hæc est mensurans oratio, quæ sola *Quantitas* censetur, idque tantùm crassa Minervâ, quia mensurat tantùm gratia temporis.

Proprietates quantitatis sunt tres,

1 *Quantitati nihil est contrarium* adversè: & hoc convenit omni non soli: est que proprium primo modo.

2 *Quantitas non suscipit magis & minus*, & hoc convenit omni non soli.

3 *Ex quantitate dicitur res æqualis vel inæqualis. Æqualitas* est diversarum rerum eadem quantitas. *Inæqualitas*, est diversarum rerum diversa quantitas: hæc convenit omni, soli, & semper, quatto modo.

Proprietates quantitatis.

CAPUT. 4.

De Relatione.

In prædicamento Relationis ostendenda sunt Quatuor,

1 Quod sit summum genus.
2 Quid sit.
3 Quæ sit ejus series.
4 Quæ sint ejus proprietates.

1 Ad investigandum summum genus, distinguendum est inter *Relationem* & *Relatum*, ubi quædam obiter notanda de *Subjecto* relationis, & *Fundamento*, & *Correlato*.

Relatum, est concretum quoddam ex relatione & subjecto, cum respectu ad aliud; dicitur *Subjectum* quatenus subsitat relationi, dicitur relatum in quantum

tum per relationem refertur ad terminum ad quem ſive correlatum; unde à quibuſdam dicitur terminus à quo.

Fundamentum, eſt ratio referendi; ſive cauſa cur relatum refertur ad aliud; ſive ſit quantitas, qualitas, &c.

Correlatum, eſt terminus ad quem relatum refertur, & quia viciſſim reſpicit relatum dicitur correlatum.

Relatio oritur à fundamento, eſtque accidens reſpectivum per quod relatum refertur ad correlatum, & è contra. Et hæc in abſtracto (non relatum) eſt ſummum genus. Quod ut intelligatur, notandum duplicem eſſe relationem.

1 *Relatio quid.*

Aliam
- 1 *Intentionalem*, per quam ſecunda intentio ad aliam refertur, ſic *Genus* & *Species* ſunt relata, *Cauſa* & *Cauſatum*, *Subjectum* & *Accidens*.
- 2 *Realem*, per quam res ipſa ad aliud refertur; eſtque duplex vel ſecundum
  - 1 *Dici*, quando non refertur ad aliud ſecundum eſſentiam ſuam & naturam, ſed ſolum ſecundum Accidens: ut *ſcientia* & *ſcibile*, *poſſeſſor* & *poſſeſſio*.
  - 2 *Eſſe*, quando res ad aliud refertur ſecundum ſuam naturam & eſſentiam; ſcilicet, cujus tota natura eſt ad aliud referri: ut *pater* & *filius*, *dominus* & *ſervus*: & hæc eſt ſummum Genus in hoc prædicamento.

2 *Series Relationis.* 2 Quæ ſit ejus *Series*: Relatio ſecundum eſſe eſt duplex,

1 In perſonis; cum duæ perſonæ invicem referantur, & hæc Relatio eſt in perſonis

vel,

Inæqualibus: quæ { Dominus et servus,
dicuntur relata *Dis-* { Pater et filius.
quiparantiæ: ut { Rex et subditus.
vel *Æqualibus:* quæ { Amicus amico,
sunt relata *Æqui-* { Socius socio.
parantiæ: ut { Cõdiscipulus cõdiscipulo.

In rebus, cùm res, non personæ referuntur: & hæc relatio vel est in

1. *Qualitatibus:* ut { 1 Similitudo, similitudo.
{ 2 Dissimilitudo, dissimilitudo.
2. *Quantitatibus:* ut { 1 Æqualitas, æqualitas.
{ 2 Inæqualitas, inæqualitas.

De proprietatibus dicam cùm has sex conclusiones proposuero.

1 Relata intentionalia, ut Genus & Species, causa et causatum sunt per se in nullo prædicamento, sed per accidens gratiâ rerum quæ illis substernuntur, sunt in omni prædicamento.

2 Relata realia secundum dici habent naturam suam absolutam, ideò non sunt in hoc prædicamento, sed in aliis nempe in absolutis, ut Scientia est in prædicamento qualitatis.

3 Omnia relata secundum esse, & hæc sola sunt in hoc prædicamento, idque reductivè solùm ad formam in abstracto.

4 Omne relatum habet Correlatum aliquod, id quod refertur.

5 Summum Genus non est relatum, ideoque nec habet Correlatum.

6 Omne relatum fundatur in aliquo prædicamento absoluto, ut *æquale* in *Quantitate*, &c.

7 Sequuntur Proprietates ordine, quæ sunt quinque.

1 Proprietas; *Relatis est aliquid contrarium*, hom

3 *Proprietates Relatorum.*

Contraria aliqua dicuntur dupliciter, vel per

Sex quæ sunt absolutæ formæ recipientes definitiones contrariorum suprà positorum.

Accidens, quæ gratiâ fundamenti sui; aut alicujus diversi contrariari dicuntur.

1 Sensus hujus proprietatis est hic: *Relata* non omnia, sed aliqua solùm (*tàm secundum dici*) ut scientia (*quàm secundum esse*) ut simile & dissimile, *contrariantur*, non suis correlatis, sed aliis, non per se, sed per accidens gratiâ fundamenti: ita ut ea relata sint contraria quorum fundamenta sunt contraria, & è contra.

Hæc non est proprietas Relatorum, sed potiùs *communitas* est dicenda: nam commune est multis relatis, sed non omnibus convenit, neo solis: ideoque nullo modo est proprium, nisi spurium aliquorum.

2 Proprietas. *Relata suscipiunt magis & minùs*, ut *scientia* suscipit magis & minùs, & *finite & dissimile*.

Sensus hujus est reddendus, ut in primâ communitate: *Relata*, non omnia, sed quædam, *tàm secundum dici, quàm secundum esse*, non per se, sed gratiâ fundamenti, *suscipiunt magis & minùs*, ita, ut ea suscipiunt magis & minùs: & ea non suscipiunt magis & minùs, quorum fundamenta non suscipiunt. Hæc enim est *communitas* dicenda; nam propriè dici non potest proprietas, *sicut nec prima*, nam communis est *multis* correlatis, sed non convenit *omni*, ideò nullo modo est proprietas, nisi spuria.

3 *Relata omnia dicuntur ad convertentiam*. Et hæc proprietas convenit omni relato, *tàm secundum esse, quàm secundum dici*: ut patet in eo, qui pater, dominus est servi dominus: estque proprium quasi modo

Hæc ut melius intelligatur, distinctiones & regulæ sequentes sunt advertendæ.

Differunt inter se hæc tria.

1 *Conuersio*, quæ est transmutatio, & transpositio unius termini in locum alterius in propositione; ut subiecti in locum prædicati: ut *nullus homo est lapis*, ergo *nullus lapis est homo*.

2 *Convertibilitas*, quæ est reciprocatio duorum simplicium terminorum in recto casu, ita ut de se invicem sic dicantur, ut de quocunque prædicatur unum, de eodem prædicetur alterum; ut *homo est risibilis*, ergo *risibile est homo*.

3 *Convertentia*, quæ est reciprocatio duorum relatorum in casu obliquo, ut uni posito ponatur alterum, & uno dempto tollatur alterum: ut *pater & filius, dominus & servus*.

Relata convertuntur sub hac similitudine vel æquitate

1 Genitivi; ut *Dominus* est *servi* dominus.

2 Dativi; ut *simile* est *simili* simile, *æquale* est *æquali* æquale.

3 Accusativi; ut, magnus dicitur *magnus* ad *parvum*.

4 Ablativus, *scibile* est *scientiâ* scibile.

2 Advertendæ etiam sunt hæ propositiones.

1 Nulla Relata reciprocantur in recto casu, ut non dicitur, *Dominus est servus*.

2 Relata omnia reciprocantur in obliquo casu.

3 Posito uno Relatorum ponitur alterum.

4 Dempto uno Relatorum tollitur alterum.

5 Hæc proprietas convenit omnibus relatis realibus, non secundum esse, quod secundum dici.

6 Si non verum & proprium correlatum habuer-

tur, tùm non reciprocantur; ut si *ala* referatur *ad avem*, aut *caput ad hominem*.

7 *Si* Correlata apta & idonea non habeantur, fingenda sunt nomina: ut *ala*, dicitur *alati ala*; *penna*, *pennati penna*.

4 Proprietas: *Relata sunt simul naturâ*: ut *Pater* & *filius*: *Dominus* & *servus*: ea enim simul naturâ sunt quæ reciprocantur, & neutrum est causa alterius; quare cum relata dicuntur esse simul naturâ, sequitur & reciprocari, ita ut neutrum sit causa alterius.

Hîc similiter 1 propositiones aliquæ sunt notandæ, & 2 aliquæ distinctiones.

1 Propositiones sunt tres.
1 Omnia quæ sunt simul naturâ sunt simul tempore; & neutrum potest esse sine altero.
2 Nulla causa est simul naturâ cum suo effectu.
3 Omnia Relata tam secundum esse, quàm secundum dici, sunt simul naturâ; si vera adhibeantur correlata.

2 Distinctiones sunt duæ:
1 Relata sumuntur dupliciter.
1 *Materialiter*, pro rebus illis quibus illæ relationes conveniunt: ut *pater* sumitur pro *homine generante*, & *filius* pro *genito*: & sic non sunt simul naturâ, sed *pater* est *prior* filio, quia ejus causa est.
2 *Formaliter* pro ipsa relatione, quæ subjectis inest, per quam termini inter se referuntur: ut *pater* pro *respectu* ipso *ad filium*; & sic sunt simul naturâ.

2 *Scibile* etiam & *Scientia* (de quibus hîc disputat Philosophus) sumuntur tripliciter.
1 *Utrique Actu*, ut id dicatur scientia, quo actu rem scimus; id scibile quod actu scitur; & sic sunt simul naturâ.

2 Utraque *Potentia*, ut id dicatur scibile quod potest sciri: itidque scientia qua possumus scire: & sic sunt simul naturâ.

3 *Unum dicitur, alterum potentiâ*: & sic scientia sumitur pro eo quod actu scimus; scibile verò pro eo quod potest sciri: sic non sunt simul naturâ: & sic ea sumpsit *Aristoteles* in capite de Relatis, cum negat esse simul naturâ, scilicet, non primo, non secundo, sed hoc tertio modo.

5 Proprietas. *Cognitio unius relatorum definitè cognoscitur & alterius. Cognoscere definitè*, est certo, & per definitionem suam cognoscere.

Ratio hujus est: quod unum Relatum est in definitione alterius, ideò unum sine altero intelligi aut sciri non potest. Estq; hoc proprium quarto modo.

Ad manifestationem hujus proprietatis advertendæ sunt hæ propositiones.

1 Relatum non potest definiri sine correlato.

2 Relatum non est essentia correlati, nec contrà; nam omne quod est essentia, est causa: at neutrum est causa alterius.

3 In definitione essentiali relati adhibendum est genus & differentia, & præter hæc correlatum.

4 Hæc ultima proprietas convenit solis relatis secundum esse non secundum dici; nam correlata secundum dici sunt (naturâ suâ) absoluta, ideoque non dependent ab aliis quoad essentiam & definitionem.

CAPUT. 5.

De Qualitate.

1 *Essentialis*: quæ est de essentiâ alicujus subjecti; ut *rationale* qualitas *hominis* esse dicitur, nempe essentialis,

prout respondet ad quæstionem factam per *quale* essentialiter: ut si quæratur, *quale animal est homo*, rectè respondetur *est animal rationale*: hæc ponitur in prædicamento Substantiæ.

Qualitas est duplex,

1 *Secundum quid*, quæ denominat subjectum quale, & aliquid amplius: ut *quale quantum, quale relatum*: & sic omne accidens denominat subjectum quale, quod non est in hoc prædicamento.

2 *Accidentalis*, quæ denominat subjectum quale non autē quid, estque duplex.

1 Indeterminatè, sic accidens in communi dicitur in *quale* simpliciter.

2 *Simpliciter*, quæ denominat subiectum simpliciter quale, & nihil amplius; idq; dupliciter,

2 Determinatè, sic sola Qualitas, quæ est in hoc prædicamento.

Qualitas non essentialis quæ prædicatur *in quale quid* essentialiter, sed *Accidentalis* quæ prædicatur in *quale* accidentaliter, non *secundum quid*, sed *simpliciter* & determinatè, est *Summum genus* in hoc prædicamento.

De qua qualitate tria sunt enucleāda,

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quæ sint ejus proprietates.

Qualitas quid.

1 Quod ad primum attinet, Qualitas sic definitur, *Qualitas* est accidens absolutum ex quo subjectum deno-

denominatur quale simpliciter, & determinatè: ut ab albedine subiectum dicitur album.

2 Qualitas est duplex;

- 1 *Acquisita*: quæ labore acquiritur, & hæc est *prima species*; estque duplex
  - 1 *Difficulter mobilis* à subiecto, & dicitur *Habitus*; ut *virtus*.
  - 2 *Facilè mobilis* à subiecto, & est *Dispositio*; ut *dispositio ad virtutem*.
- 2 *Innata*, quæ à natura datur, & est *secunda species*, & facit subiectum aptum ad aliquid agendum; & tum est *Potentia naturalis*, ut *visibilitas* est facultas *homini* naturalis.
  - 1 *Impassibilis*; quæ nullam passionem infert; estque duplex
    - 1 *Corporis*; estque duplex
      - 1 *Difficulter mobilis*; & tum est *Passibilis qualitas corporis*; ut *albedo*.
      - 2 *Facilè mobilis*; & tum dicitur *Passio corporis*: ut *Verecundia*.
    - 2 *Animæ*; quâ anima ipsa patitur; estque duplex
      - 1 *Difficulter mobilis*; & tum est *Passibilis qualitas animæ*; ut *Ira inveterata*.
      - 2 *Facilè mobilis*;
  - 2 *Patibilis*; quæ passione aliquam infert; vel
    - 1 *Per se*, & suâ propriâ passione; & hæc est *tertia species*, quæ infert passionem, vel

Qualitas quotuplex.

	bilis; & tum est *Perturbatio*: ut, *ira brevis*.
2 *Per accidens*, quæ propter aliud infert passionem, & hæc est *quarta species* qualitatis, estque externa *proportio*: eaq; vel in rebus	*Naturalibus*: & tum est *Forma*. *Artificialibus*: & tunc est *Figura*.

1 *Nota*. De differentia primæ speciei qualitatis quæ est *Habitus* & *Dispositio*, observa hæc quinque,

1 Dispositionem sumi *generaliter*, pro omni qualitate quâ subjectum disponitur vel ad actionem, vel ad habitum acquirendum, sive sit facilè mobilis sive difficulter: & sic habitus dici potest dispositio, quia per eum disponimur ad agendum, & sic sumitur apud Aristotelem, quum habitum dicit esse dispositionem.

2 Dispositionem sumi *specialiter*, pro ea qualitate, (quâ subjectum disponitur & ad agendum, & ad habitum acquirendum) quæ est facilè mobilis à subjecto; & sic habitus non est dispositio, quum habitus ad habitum nos non disponat, nec facilè mobilis sit à subjecto.

3 Habitum & dispositionem (etsi sint *duo nomina*, & complexum voce) poni pro *Specie una*; ideoque cùm sint *incomplexum re*, non sunt duæ species, sed una.

4 Habitum & dispositionem, non differre specie, naturâ, & essentiâ, differre tamen accidente, nempe *firmitate inhærentiæ*: ut, dicitur habitus quia firmiùs inhæret; dispositio quia facillimè removetur; differunt ergo, ut *vir* & *puer* ab *homine*, non naturâ, sed accidente & *gradu*.

5 Omnes virtutes & vitia esse in hac primâ specie qualitatis.

De

De secunda quoque specie quæ est Naturalis potentia & impotentia observentur hæc quinque. 2 Nota.

1 Naturalem potentiam & impotentiam, esse *unã speciem*, non duas, ideoque non differre naturâ & essentiâ, non esse complexa re, sed voce tantùm.

2 Naturalem impotentiam non esse privationem potentiæ in subjecto, sed esse quandam *potentiam debiliorem*.

3 Naturalem potentiam & impotentiam etsi naturâ & essentiâ non differunt, tamen accidente *differre*, quia per alteram notatur facilitas agendi, per alteram verò infirmitas agendi aut patiendi.

4 Omnem naturalem potentiam aut fluere à principiis speciei, aut individui; sic *risibile* est in hac specie qualitatis, ut & omne proprium quarto modo.

5 Omnem *sensum* esse in hac secunda specie qualitatis.

De tertia etiam specie qualitatis, quæ est *Patibilis* qualitas & *Passio* hæc observanda sunt. 3 Nota.

1 Patibilem qualitatem & passionem non esse duas species sed *unam*: & differre non naturâ sed solùm accidente, quod una firmiùs inhæreat, altera debiliùs,

2 Passionis nomen sumi multipliciter; vel pro

Accidente quovis, & sic non hîc sumitur, sed est in quovis prædicamento.

Accidente proprio, quod convertitur cum suâ specie, & sic dicimus omne proprium in quarto prædicabili esse passionem propriam.

Accidente respectivo, secundum quod dicimur pati aliquid, & sic est distinctum prædicamentum, quod dicitur *Passio*.

Qualitate inferente passionem alicui

licui, vel corpori vel animæ facilè mobili, & sic est in hac tertiâ specie qualitatis.

3 Passio non denominat subjectum *quale* (docente Aristotele) nempe sic ut patibilis qualitas, 1 non permanenter & firmiter, sed debiliter & leviter.

4 Qualitatem patibilem corporis dici patibilem non quia ipsa patitur; sed duplici de causa, 1 quia infert passionem sensui, ita ut sentiatur sensu aliquo, sic omnis qualitas patibilis corporis hac ratione dicitur patibilis, 2 quia oritur à passione mentis; ut *color qui oritur ab invidia, vel metu.*

5 Omne objectum sensûs esse in hac tertia specie, & omnem perturbationem mentis.

4 Nota. De quarta specie id solùm observari potest, *Formam* & *Figuram* esse externam lineamentorum proportionem, nec differre essentiâ, sed accidente solùm, scil. quòd *hæc* sit in rebus *artificialibus, illa in naturalibus.*

Seriem nunc qualitatis integram paulo prolixiorem proponamus.

Qualitas est duplex { 1 *Non inferens passionem.* 2 *Inferens passionem.*

Non inferens passionem est vel

1 *Acquisita*, quæ studio & labore comparatur, & est prima Species, scil. *Habitus* & *dispositio*: estque vel *corporis*, ut habitus saltandi &c. vel *Animæ*, estque duplex; 1 *Bonus*, ut virtus, eaque vel *Moralis*, & sunt tales 11. sc. justitia &c. vel *Intellectualis*, quæ versatur partim in *contingentibus*, isque vel *Agendis*, & tum est *Prudentia*; vel *faciendis*, & tum est *Ars*; partim in *Necessariis*, scil. in cognitione 1 *Principiorum* tantùm, & tum est *Intelligentia*, 2 *Conclusionum*, & tum est *Scientia*, 3 *Utriusque*, & tum est *Sapientia*. 2 *Habitus* est *malus*, & tum est *vitium*; vel *morbus*, idque

que vel in *excessu*, ut prodigalitas, audacia, &c. vel in *defectu*, ut timiditas, avaritia, &c. vel *mentis*, ut ignorantia, &c.

¶ 2 *Innata*, & est secunda Species, sc. *Naturalis potentia & impotentia*: estque vel *Corporis*, ut duritiis adamantis, &c. vel *Animae*, quae reperitur vel in anima *vegetativa*, ut potentia & impotentia nutriendi, augendi, generandi; vel in anima *sensitiva*, & est sensus, vel *Internus*, estque triplex, sensus communis, phantasia, & memoria; vel *externus*, & est quintuplex, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus; vel in anima *rationali*, ut potentia ratiocinandi, flendi, ridendi, &c.

Inferens passionem estque duplex.

¶ 1 *Per se* & tum est tertia Species, scil. *patibilis*, *qualitas & passio*. Estque vel 1 *Corporis* sensibilis, & tum est objectum alicujus sensûs, nempe vel

1 *Visûs*, estque
- *Lux*, quae est in corpore lucido.
- *Lumen*, quod est in medio.
- *Color*, qui est duplex
  - *Externus*, ut albedo, nigredo.
  - *Medius*, ut viriditas, rubedo.

2 *Auditûs*, & est sonus, estque duplex
- 2 *Fragor*
- 2 *Vox*

Vid. lib. 3. cap. 1.

3 *Gustûs*, & tum est *sapor*, qui est duplex
- 3 *Dulcis*
- *Acer*
- 3 *Suavis*
- *Acerbus*

4 *Olfactûs*, & tum dicitur *Odor*, qui est duplex.

5 *Tactûs*, & est *tangibilis qualitas*, eaque est
- Una ex 4 *primis* qualitatibus, ut
  - Calor.
  - Frigus.
  - Humor
  - Siccitas
- *Sex primis orta*, ut asperitas &c.

Vel secundò est patibilis qualitas & passio *Animi*, & tum est perturbatio mentis, ut 1 *Libido*, ad quam reducitur

reducitur ira, inimicitia, indignatio. 2 *Voluptas*, ad quam jactatio, dolor. 3 *Metus*, ad quem pudor, timor. 4 *Ægritudo*, ad quam invidia, æmulatio, &c. reducantur.

¶ 2 *Per Accidens*, ut externa proportio lineamentorum corporis: & est quarta species: estque vel in rebus *Naturalibus*, & tum est *Forma*; ut forma externa hominis aut equi; vel in rebus *Artificialibus*, & tum est *Figura*, ut triangulum, quadrangulum, & omnes species figurarum.

Quæ sint proprietates.

Nunc deveniamus ad proprietates quæ sunt tres. Prima est hæc, *qualitati est aliquid contrarium*: ut, *albedini nigredo*, *virtuti vitium*.

Contrarium sumitur dupliciter

1 *Largè*, pro quavis repugnantiâ duarum formarum accidentalium, quæ maximè distant sub eodem genere, & expellunt se ab eodem Subjecto.

2 *Strictè*, quod requirit quatuor conditiones, ut

1 Sint *formæ* accidentales ejusdem Generis.

2 *Maximè distent* inter se sub eodem Genere.

3 Non compatiantur se in eodem Subjecto.

4 Sint *activæ & passivæ* invicem.

Contrarietas sumpta primo modo non est in quarta Specie (nam duæ figuræ non possunt maximè distare:) est verò in primâ Specie, ut inter *virtutem* & *vitium*: in secundâ Specie, ut inter *durum* & *molle*: in tertiâ Specie, ut inter *nigrum* & *album*; sed non inest in omni: nam in primâ *liberalitas nulli* contrariatur; tùm nec maximè distat ab *avaritiâ*, quia *prodigalitas* plus distat; nec est in omni qualitate secundæ speciei, nam *medii colores* non contrariantur; tùm nec maximè distant, quia *extremi colores* plus distant.

Contrarietas

Contrarietas secundo modo definitè & distinctè accepta non ineſt in secundâ aut quartâ Specie (nam illæ qualitates non ſunt activæ & passivæ invicem) ſed eſt ſolùm in tertiâ Specie: in cæteris enim ſimplicibus, nem ejuſdem Speciei quædam qualitates non contrariantur.

Hæc itaque proprietas non eſt propriè dicta proprietas, quia nec omni, nec ſoli convenit: non ſoli, quia actioni & passioni; adeòque communitas potiùs dicitur quàm proprietas; & ob eminentiam qualitati tribuitur, quia inter has præcipuè eſt contrarietas.

2 Proprietas: *Qualitas ſuſcipit magis & minùs*: ut unus *homo* eſt *magis candidus* quàm alter.

Aliquid ſuſcipit magis & minùs dupliciter, vel

1 *Naturam*, & eſſentiam alicujus, quòd plus eſt in uno quàm in alio.

2 *Gradus accidentales*, quando plures ſunt gradus qualitatis in uno ſubjecto quàm in alio: ut quòd calor intenditur ſecundum aut remittitur in aliquo ſubjecto.

Nulla qualitas neque ullum aliud ſuſcipit magis & minùs in primo ſenſu; nam natura nullius rei intenditur aut remittitur (ut docet *Porphyrius*.) Sed qualitas in ſecundo ſenſu ſuſcipit magis & minùs: aliqua in primâ Specie, ut *doctrina* & *Juſtitia*, (nam unus eſt juſtior altero, & doctior:) Aliqua in ſecundâ Specie, ut *durum* & *molle*: aliqua in tertiâ Specie, ut *album* & *nigrum*; aliqua in quartâ Specie: ut *curvum examen*. Omnes qualitates non ſuſcipiunt magis & minùs: nam aliquæ in ſecundâ Specie non ſuſcipiunt, ut *viſibile* & *flebile*; & aliquæ in quartâ Specie. Hæc proprietas convenit qualitati nec omni, nec ſoli, idcòque improprièappellatur proprietas, ſed rectiùs communitas eſt dicenda, nam nec *omni* convenit (ut modò dixi) nec ſoli quia convenit actioni

oni & passioni: ut mox dicemus, sed ob causam prædictam hic ponitur.

Tertia Proprietas: *Secundum qualitatem aliquid dicitur simile aut dissimile*: scil. *causaliter* non *formaliter*, sic enim ex *similitudine* res dicitur *similis*, ut ex *albedine dicitur paries albus*.

Similitudo sumitur dupliciter.
1. *Generaliter*, pro convenientia duorum in ullo communi prædicato: sic *homo* et *brutum* sunt similia *in animali*.
2. *Specialiter*, et propriè pro convenientia duorum in una qualitate communi utrisque: ut *Cygnus* et *nix* sunt similia in *candore*.

Si Similitudo sumatur generaliter, sic in quovis prædicamento dicitur aliquid simile aut dissimile: si similitudo sumatur propriè, sic ex sola qualitate subjectum dicitur simile aut dissimile.

Similitudo est rerum diversarum eadem qualitas.

Dissimilitudo est rerum diversarum diversa qualitas.

Hæc convenit omni qualitati, soli, & semper, ideòque est proprium quarto modo qualitati.

Ac de Qualitatis tùm definitione, tùm serie, tùm de proprietatibus hæc dicta sunto.

CAPUT. 6.

De Actione.

HActenùs dictum est de quatuor primis prædicamentis, sequuntur sex posteriora, de quibus *Aristoteles* paucissima tradit: vel quia horum cognitio non est tàm difficilis, vel quia ex cognitione reliquorum haberi potest, vel quia hæc Relata sunt, & ex capite de Relatis intelligi possunt. Hæc sex posteriora

ficiora prædicamenta dici possunt Relata secundum esse extrinsecum: sed quia durior est hæc locutio, tutius dicere possumus, esse Relata secundum *dici*, non secundum esse. Atque ita dicuntur, vel quia ad aliquid secundum Accidens referuntur, ut *Actio* ad *Passionem*: vel quia oriuntur ex relatione aliarum. Ut ex relatione *Loci* ad *locatum*; *Quando*, *temporis* ad *rem temporatam*; *Situs*, *partium loci*, ad *partes loci*; *Habitus*, *vestis* ad *vestitum*. De quibus pauca dicam. Et primò de *Actione*, ubi quatuor sunt consideranda:

1 Quæ Actio sit in hoc prædicamento.
2 Quomodo Actio definiatur.
3 Quæ sit ejus Series prædicamentalis.
4 Quæ sint ejus proprietates.

Quod ad primum attinet advertendum est hæc distinctio.

Actio est duplex

1 *Immanens*: quando nihil transit ab agente in rem patientem loco distantem, sed manet actio solùm in eodem subjecto cum agente, ut *velle*, *scire*: & omnes actiones morales & intellectuales.

2 *Transiens*: quando ab agente aliquid in exteriorem patiens imprimitur: ut *calefactio* imprimit *calorem* in *aquam*.

Nonnulli putant in hoc prædicamento solùm poni Actionem transientem, non Immanentem, sed eam esse dicunt in prima qualitatis Specie. Sed (ut mihi videtur) & Transiens & Immanens in hoc prædicamento continentur: Actio igitur utique communis, est *summum Genus* in hoc prædicamento. Et hæc de primo quod proposui. Secundo in loco Actio est definienda.

Quæ Actio sit summum Genus.

Actionis

Actio quid

Actionis definito est duplex.

1 Actio est accidens, ex quo subjectum dicitur agens: ut, ex *calefactione ignis* dicitur *calefacere*: & hæc definitio convenit tàm Immanenti, quàm Transienti.

2 Actio, est secundum quam, in id quod subjicitur, agere dicamur: ut, *secans* dicitur agere in id quod *secat*, & ita sectio est actio: & hæc definitio convenit Transienti.

Pro explicatione posterioris definitionis tria sunt observanda.

1 *Agentem agere in passum triplici agendi* modo, vel per

1 *Quantitatem* intrinsecam, ut *ignis* agit *per calorem* in aquam.

2 *Actionem*, tanquam per *rationem formalem*; & sic solùm hic sumitur.

3 *Instrumentum*: ut, qui agit *mucrone*.

2 *Per id quod subjicitur*, subintelligi materiam circa quam agens agit.

3 Hanc definitionem non convenire actioni Immanenti, sed solùm Transienti.

De definitione actionis dixi: Jam venio ad Seriem: etsi autem Species actionis (sicut Species aliorum prædicamentorum) non perfectè cognoscuntur, tamen aliquæ constitui solent, & possunt.

Series Actionis.

Actio est duplex *Immanens* vel *Transiens*.

1 *Immanens*, & est actio *animæ*, vel

1 *Vegetantis*, ut nutrire, &c.

2 *Sensitivæ*, ut videre, audire, &c.

3 *Intellectivæ*, ut velle, nolle, intelligere, &c.

2 *Transiens*, quæ est actio *corporis*, vel

1 *Inanimati*,

1. *Inanimati.* Actio vel *Actio* alicujus.
   - *Cœli*: ut, movere, illuminare, &c.
   - *Elementi*: ut
     - *Ignis*, ut calefacere.
     - *Aëris*, ut humectare.
     - *Aquæ*, ut refrigerare.
     - *Terræ*, ut siccare.
   - *Mixti*: ut actiones illæ *lapidum*, & rerum aliarum *mixtarum*: ut *attractio ferri est actio magnetis.*
2. *Animati*, & hoc est
   - *Plantarum*: ut herbarum actiones, & arborum.
   - *Brutorum*: hinnire est Actio equi, rugire leonis, volare avis.
   - *Hominum*: ut saltare, digladiari, &c.

Proprietates sunt quatuor.

1. Ex Actione denominatur subjectum agere & agens.
2. Actio solùm ponitur subjectivè in agente.
3. Actioni aliquid est contrarium non quidem per se, sed gratiâ fundamenti: ut *calefacere* & *frigefacere*, sunt contraria; hæc autem sunt contraria, quia *calor*, & *frigus* sunt contraria: & hæc non convenit omni actioni, nec solis ideòque est potiùs communitas quàm proprietas.

Actionis Proprietates.

4. Actio suscipit magis & minus; & hæc etiam convenit Actioni, non per se, sed gratiâ fundamenti; nec convenit omni actioni, nec soli.

CAPUT 7.

De Passione.

DE Passione consideranda sunt tria.

1. Quid sit.
2. Quæ sit ejus Species.
3. Quæ sint ejus proprietates.

1. *Passio* est accidens ex quo subjectum dicitur patiens: ut, ex *calefactione passivâ* subjectum dicitur *calefieri*: ex *sectione passivâ*, *secari*.

Passionis definitio est duplex.

2. *Passio*, est effectus illatioque Actionis: id est, Passio est id quod infertur & efficitur per actionem immediatè: ut quando ignis agit in aquam, inducit *calorem* in aquam, sed id quod infertur immediatè non est *calor*, sed *passio*.

Omnis Passio igitur (ut mihi videtur) motus est: nam cum motus sit id quod à movente immediatè in mobile imprimitur, movens autem sit agens, videtur etiam passionem omnem esse motum; & ideò motus in prædicamento passionis ponendus est tanquam in suâ serie prædicamentali, licet in nullo uno prædicamento sit per se, si respiciamus terminos ipsius, quoniam illi sunt in diversis prædicamentis.

passio quid

De Passione observanda sunt hæc tria.

1. Passio est effectus Actionis: ideoque actio est ejus causa: atque non sunt simul natura: neque Passio est simpliciter relatum.

2. Passio est motus, & motus est in hoc prædicamento.

3. Passio est effectus transientis solummodò Actionis, nam actio immanens nullam infert Passionem.

A definitione venio ad Seriem, quam ex Actione tradere ferè possumus; sed quia passio & motus idem sunt, ideò si Species motûs hîc tanquam Series ponantur, mihi non incommodum videtur.

Passio est duplex, secundum quam subjectum patitur *mutationem* aliquam vel secundum,

¶ 2 Sub-

Passionis Series.

- 1 *Substantiam*, ut cùm *materia prima* mutetur, vel
  - *Non Forma* ad formam: & tùm dicitur *Generatio*.
  - *Forma* ad non formam: & hæc dicitur *Corruptio*.
- 2 *Accidens*: ut quum subjectum mutetur, vel secundum,
  - 1 *Quantitatem*, cùm subjectum mutetur à quantitate, vel
    - 1 *Minori* ad majorem: & tùm dicitur *Augmentatio*.
    - 2 *Majori* ad minorem, & tùm dicitur *Diminutio*.
  - 2 *Qualitatem*, cùm subjectum mutetur ab una qualitate in aliam, & dicitur *Alteratio*, estque vel à Qualitate
    - *Prima*, quæ est Elementi, ut à
      - 1 *Frigido*, in calidum, & dicitur *Calefactio*.
      - 2 *Calido* in frigidum: & dicitur *Frigeratio*.
    - *Secunda*, quæ est Mixti, ut
      - Ab *albo* in nigrum, & à *nigro* in album, &c.
  - 3 *Ubi*, ut cùm subjectum ab uno loco in alium moveatur, vel sursum, vel deorsum; & tùm est *Motus Localis*.

Series alio modo potest collocari, sed quia passionem Motum esse arbitramur: ut mihi videtur, Species Motus in hoc prædicamento rectè collocentur.

Passionis *proprietates* sunt quatuor.

Proprietates passionis.

1 Ex Passione Subjectum dicitur patiens.

2 Actio & Passio differunt realiter, & aliud est Actio, aliud est Passio: & differunt Subjecto.

3 Passioni aliquid est contrarium, nempe per accidens: ut *calefactio passiva*, & *refrigeratio passiva* sunt contraria, quia *calor* & *frigus* sunt contraria.

4 Passio suscipit magis & minus:

nempe per accidens gratiâ qualitatis in quâ fundatur.

De Passione hæc dicta sunto

CAPUT. 8.

De Ubi.

HOc prædicamentum, *Ubi*, non efficit distinctum prædicamentum; nec illa quinque ultima secundùm quorundam sententiam: eaque *Aristoteles* crassâ admodum *Minervâ* breviter pertractat in Categoriis: Ipse non posuit hæc, pro prædicamentis, quantum colligere possumus ex dictis suis: sed quia Pythagoricam disciplinam in limine operis noluit refutare, ideo (modestiæ gratiâ) ea in numero prædicamentorum enumerat: Hæc enim quatuor priora prædicamenta sunt *Aristotelis*; reliqua sunt *Pythagoræorum*, quia illi existimabant decenarium numerum esse perfectissimum; ideòque constituebant (secundum illum numerum) decem prædicamenta quorum sex posteriora (ut inter Logicos non indocti, volunt) optimè referri possunt ad prædicamentum Relationis; eorum verò in verba nos non jurantes, numerum Prædicamentorum ab antiquis receptum non decurtamus.

De *Ubi* igitur tria sunt observanda;
1 Quomodo definiatur.
2 Quæ sit ejus Series.
3 Quæ sint ejus proprietates.

1 *Ubi quid* est duplex, *Ubi* definitio
1 *Ubi* est Accidens ex quo Subjectum dicitur *alicubi*, & etiam quod respondet ad quæstionem factam per *Ubi*: ut si quæratur *Ubi est Socrates?* rectè dicitur, *in templo.*
2 *Ubi* est circumscriptio locati in loco:

loco: quæ definitio est solummodò *ubi* circumscriptivi; sensus est: *Ubi* circumscriptivum nihil aliud est, quam respectus ortus ex ambiente corpore ad corpus ambitum.

2 Sequitur quæ sit ejus Series: *Ubi*, autem est duplex, 2 *Ubi, quotuplex.*

1 *Definitivum* quo aliquid dicitur essentialiter in loco definiri: ita ut cum sit in uno loco non possit esse eodem instante in alio loco; ut *Angelus, Spiritus*; vel Spiritus dicatur esse in loco quoad *operationem* (licet non quoad *occupationem*): ita operatur hoc in loco, ut eodem instante non operetur alibi.

2 *Circumscriptivum* in quo aliquid circumscribitur à loco, & hoc solùm habens *corpora*, est quo vel
- 1 Sursum.
- 2 Deorsum.
- 3 Dextrorsum.
- 4 Sinistrorsum.
- 5 Antrorsum.
- 6 Retrorsum.

3 *Quæ sint Proprietates.*

Proprietates *ubi* sunt septem.
- 1 Ubi non est locus, sed est esse in loco.
- 2 Ubi est esse in loco toto, non in parte.
- 3 Ubi nihil est contrarium.
- 4 Ubi nec intenditur nec remittitur.
- 5 Omne corpus est alicubi, sivè in loco determinato.
- 6 Omnis spiritus finitus est in loco definitivè.
- 7 Deus est in loco repletivè, id est, est in omni, non in uno aliquo loco; sed hic locus non est in prædicamento.

CAPUT. 9.

De Situ.

De *Situ* considerandæ sunt tria.

Situs quid.

1 Quotuplex sit ejus definitio; estque duplex.

1 Est hæc, *Situs* est relatio orta inter partes loci & partes locati; unde subjectum & situatum esse dicitur.

2 Est hæc, *Situs* est positio & ordo partium in toto, & in loco; ut una sit sursum, alia deorsum, *&c.*

2 Quomodo differt ab ubi?

Differt *Situs* ab *ubi* in hoc: quòd situs est relatio inter partes loci, & partes locati: & *ubi* est inter totum locum, & totum locatum.

Situs series

3 Quæ sit ejus *Series*. *Situs* autem est duplex, vel

1 *Violentus*, estque propriè vel in

Homine, & cæteris *animalibus*, ut violenter

Sedere,
Stare,
Cubare,
&c.

Arbore, & cæteris *plantis*, ut habere

Ramos deorsum.
Truncum sursum.

2 *Naturalis*, estque propriè vel in

Homine, & cæteris *animalibus* ut habere

Caput sursum.
Pedes deorsum.

Arbore, & cæteris *plantis*, ut habere

Ramos sursum.
Truncum deorsum.

Situs proprietates.

Proprietates sunt quatuor.

1 Ex *Situ* aliquid dicitur situatum esse.

2 Situi nihil est contrarium: nam situs ex quantitate pendet, in quantitate autem nulla est contrarietas propriè dicta.

3 Situs

3 Situs nec intenditur nec remittitur.
4 Situs solummodò convenit rebus corporeis, quia hæ solum habent partem extra partem.

CAPUT. 10.

De Quando.

In *Quando* tria sunt consideranda,
1 Quid sit.
2 Quæ sit ejus Series.
3 Quæ sint ejus proprietates.

Quando est Accidens ex quo aliquid dicitur esse in tempore, & respondet ad quæstionem factam per *quando*: ut *quando vidisti patrem? heri*. Oritur autem ex respectu temporis ad rem temporariam (sicut ubi ex respectu loci ad locatum) & nihil aliud est *quando* positivè, quàm esse in tempore. *Quando quid.*

Series ejus non facilè cognosci potest, propter penuriam vocabulorum per quæ describerentur distinctæ species ejus, hanc itaque (pro accuratiori serie) sequentem habitote.

Quando est quod oritur ex *Tempore* vel
1 *Præsenti*, ut esse hodiè.
2 *Præterito*, ut fuisse in anno, mense, die, aut horâ, præcritis.
3 *Futuro*, ut fore, anno, die, mense, horâ, futuris. *Series Quando.*

Proprietates sunt quatuor.
1 Ex quando subjectum dicitur esse in tempore.
2 Quando non est tempus, sed oritur in tempore.
3 Quando nihil est contrarium.
4 Quando nō suscipit magis & minùs. *Proprietates Quando.*

CAPUT. II.

De Habitu.

Habitus sumitur quinque modis, vel pro

1 Qualitate firmiter radicatâ in subjecto acquisitâ & impassibili, & sic est prima species qualitatis.

2 Formâ aliqua debitâ alicui subjecto, cujus absentia dicitur privatio; & sic est in Postprædicamentis.

3 Ut derivatur ab habere vel haberi; unde liber est *habitus à me*, id est possessus.

4 Veste sic figuratâ, sic vestis dicitur habitus, licet quoad essentiam sit in substantia, quoad figurationem verò in quarta specie qualitatis.

5 Accidente consurgente ex applicatione vestis ad vestitum, per quod dicitur quis vestitus. Estque habitus in hoc sensu summum genus in hoc prædicamento.

Habitus quid. Hinc patet quid sit habitus: Habitus est accidens proveniens ex applicatione vestis ad vestitum, unde quis habituatus dicitur, ut ex *veste* aut *armis* subjectum dicitur *vestitum* aut *armatum*.

Series. Quæ sit ejus *Series* Hæc autem & similia possunt esse ejus species, *ut calceatum esse, tunicatum esse, palliatum esse &c.*

Proprietates. Proprietates sunt tres.

1 Ex habitu dicitur subjectum vestitum esse.

2 Habitus non habet contrarium.

3 Habitus non suscipit magis & minùs.

Finis Prædicamentorum.

DE

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

CAPUT. I.

De Oppositis.

DE Anteprædicamentis & de Prædicamentis dictum est, sequuntur Postprædicamenta.

Postprædicamenta sunt quinque,
- Modi *Oppositorum.*
- Modi *Prioris.*
- Modi *Simul.*
- Modi *Habendi.*
- *Motus.*

Ut Modi oppositorum planiùs intelligantur observandi est hæc distinctio dissentaneorum.

Dissentaneum dicitur quicquid ab altero quovis pacto differt; *dissentanea* autem sunt, vel *diversa*, vel *opposita*. *Dissentaneum quid.*

1. *Diversa*, quæ naturâ & essentiâ differunt, & non subjecto: ut *quantitas* & *qualitas*.

2. *Opposita*, quæ non solùm naturâ & essentiâ, sed etiam ita differunt, ut eodem subjecto & respectu inesse non possunt; suntque vel *disparata* vel *contraria*.

1. *Disparata*, quando unum uni sic opponitur, ut tamen illi maximè non opponatur, sic *Avaritia* & *Liberalitas* disparata sunt, sed unum non maximè ab altero distat, nam plus distant *Avaritia* & *Prodigalitas*.

2. *Contraria*, quæ sic opponuntur, ut utrumq; ab altero maximè distet, & in hoc maximè differunt à disparatis, suntque vel *affirmativa* vel *negativa*.

1. *Affirmativa contraria*, *Dividendo tantùm, non inhærendo:* sic *differentiæ* omnes *substantiales* oppositæ & *species* dicuntur contrariæ, quia dividunt idem genus.

traria, quorum uterque terminus est affirmativus: & sunt contraria, vel in

Inhærendo tantùm, quæ simul inhærere nequeunt; & sunt duplicia,

Respectiva, quæ respectum notant ad aliud: & sic *relativa* secundum *esse* vel *dici* sunt opposita.

Absoluta, quorum utrumq; est absolutũ, & sunt opposita adversa; eaque vel

Immediata, inter quæ nullum est medium, sed alterum semper inest in subjecto capaci, ut *sanitas* & *ægritudo*.

Mediata, inter quæ est medium, & alterum inesse non est necesse: ut *albedo* & *nigredo*.

2 *Negativa*, quorũ alter terminus est negativus; suntq; duplicia,

Privantia quorũ alter terminus privat alterum non omni subjecto, sed in quo habitus inerat vel inesse potuerat & debuerat; & hæc sunt duplicia,

1 Quæ tollunt actũ habitûs tantùm & non potentiam, ut *quies* & *tenebræ*.

2 Quæ tollunt *actum* & *potentiam* simul, ut *cæcitas oculorum*.

Contradicentia, quorum alter terminus de quovis subjecto affirmatur, ut *homo*, *non homo*; *lapis*, *non lapis*.

De hac divisione dissentaneorum, ut rectiùs ejus usus habeatur, observentur hæ regulæ.

1 *Dissentaneorum* nomen est commune, & instar summi

summi generis respectu reliquorum.

2 *Diversa* possunt esse tàm in eodem prædicamento quàm in diversis.

3 *Oppositorum* nomen aliter usurpatur apud *Aristotelem*, aliter in hac divisione, nam *Aristoteles* accipit *opposita* pro iis quæ nos appellamus *Contraria*, quæ disparatè opponuntur; nos autem accipimus *Contraria*, ut nomen utrisque commune.

4 Omnis virtus opponitur suis vitiis extremis *disparatè*, quia tametsi opponantur, nunquam tamen maximè distant, sed plus distant vitia intersese.

5 Si virtus & vitium sumantur in genere, tùm non opponuntur *disparatè* sed *adversè*; si in specie, prout virtus est medium inter duo extrema, tùm opponuntur *disparatè*.

6 Quoties *Aristoteles* de *contrarietate* loquitur in præmissis, sumit pro adversè contrariis, ut cùm negat substantiæ aliquid esse contrarium: & cùm affirmat qualitati aliquid esse contrarium.

7 Quòd rectè dividantur contraria affirmativa in contraria secundùm *divisionem*, & secundùm *inhæsionem* satis est probabile; aliter enim non video in quo dissentaneorum genere *differentiæ* substantiales oppositæ & earum species collocari possunt; in hoc autem membro sine incommodo collocari possint.

8 *Aristoteles* in sua divisione omisit ea quæ nos appellamus 1 *Dissentanea*, 2 *Diversa*, 3 *Opposita*, 4 *Disparata*, 5 *Contraria affirmativa in dividendo tantùm*, quia voluit vulgarem divisionē tradere solùm, quam ab antiquis accepit: accuratiorem divisionem nolebat in hoc institutionis opere ponere, quum hic statuit potiùs docere quod ab aliis traditum erat, quàm quod fuit verum simpliciter: unde ista divisio ab *Aristotele* adducta, non est æqualis divisio.

9 Divisum apud *Aristotelem* est *Oppositum*, quod respondet

respondet ei dissentaneorum generi quod nos appellamus *Contrarium*.

10 Divisio *Aristetelis* est in hæc quatuor membra, 1 *Relativè* opposita, 2 *Contraria* seu *adversa*, 3 *Privantia*, & 4 *Contradicentia*.

De singulis membris ab *Aristotele* traditis, aliqua sunt observanda.

Regulæ de Relativè oppositis.

De *Relatis* observa hæc 4.

1 Relata omnia tam secundum *dici*, quàm secundum *esse* sunt relativè opposita.

2 Aliâ ratione & respectu *relata* sunt *opposita*, & aliâ sunt *relata*: ut, *pater* & *filius*, & cætera omnia relata sunt in prædicamentis, quatenus à se mutuò dependent, & unum ponit alterum, sunt autem in postprædicamentis ut relativè sunt opposita, quatenus inter se differunt, mutuò se destruunt, & unum tollit alterum.

3 *Relata* non se destruunt ac tollunt ut alterum non sit; sed ut non sit in eodem Subjecto: nam ponunt se in diversis, destruunt se in eodem: ut idem non sit *pater* & *filius istius patris*.

4 *Pater* & *filius*, ut & omnia *relata* & *correlata* non opponuntur nisi eodem respectu sumantur: ut *pater Johannis*, & *filius Petri* non opponuntur.

De *adverse* oppositis observa hæc duo.

1 Vulgarem definitionem Adversorum esse istam: *Contraria Adversa* sunt accidentia posita sub eodem genere, maximè à se distantia; quæ mutuò se expellunt ab eodem subjecto, in quo vicissim inesse possunt, nisi alterum insit à natura.

2 Definitionis explicationem: Atque ad explicationem hujus definitionis octo sunt notanda, scilicet quod,

1 *Accidentia* dicuntur, unde excluduntur omnes

differentiæ

differentiæ substantiales, immò & omnis *privantia* quæ non sunt entia positiva.

2 Dicuntur poni *sub eodem genere*, ergo quæ sunt ùn diversis prædicamentis non sunt *Adversè Contraria*.

3 Dicuntur *maximè à se distare*, intelligendo in gradu, sed *formâ*, & formali distanti à ac operationibus formam ipsam sequentibus: nam *Calor in remisso gradu* & *frigus remissum* sunt contraria, sed non maximè distant quoad *gradum*.

4 Dicuntur *expellere se ab eodem Subjecto*: quæ ergo simul insunt non sunt adversa; sed hoc de contrariis præsertim in intenso gradu proferunt, nam in remisso gradu simul inesse possunt, ut in *mixtis* inest *calor* & *frigus*, licèt non absque pugna. *Regulæ de contrariè oppositis.*

5 Quòd *eidem Subjecto vicissim insunt*, hinc à privantibus distant, nam illa non insunt vicissim; ut unum possit sequi alterum in Subjecto: quod si alterum contrariorum à natura insit, tum non est necesse ut vicissim insint, sic non est necesse *frigus* inesse *igni*, quia calor ei inest à natura.

6 Cùm *Aristoteles* asserit bonum & malum esse contraria, nec tamen poni sub eodem genere, loquitur secundum opinionem *Pythagoricorum* qui ponebant duo summa genera, scilicet bonum & malum: & secundum hos, duo contraria erant, duo summa genera.

7 Dicit *Aristoteles* genera aliqua esse contraria, cùm Species illorum generum non sunt contrariæ: & sic *virtus* & *vitium* in genere opponuntur *contrariè*; Species autem illorum, ut *liberalitas* & *avaritia* non sunt contraria, sed *disparatè opposita*, non enim maximè distant sub eodem genere; *prodigalitas* enim & *Avaritia* magis distant.

8 Contraria immediata nullum habent medium *formæ*, sive medium *participationis*; sed habent medium

dium *subjecti*, sive *abnegationis*. *Medium formæ* est quum inter duo extrema est aliqua media forma, ut *sanitas* & *ægritudo* non habent medium *formæ*, sed habent medium *subjecti*, scilicet *lapidem*, quia lapis nec est sanus nec æger. *Medium Subjecti* est quando invenitur aliquod subjectum in quo neutrum inest; & sic differunt à Contradictoriis quæ nullum habent medium *Subjecti*.

Regulæ de privativè Oppositis.

1 Privationem aliquando sumi *impropriè* pro mera absentia seu negatione formæ & habitûs; ut si quis dicat *lapidem esse cæcum*.

2 Privationem esse simpliciter non ens per se.

De *privativè oppositis* observa hæc quinque,

3 Privationem Physicam (*i.* istam quæ ab *Arist.* in Physicis definitur) præcedere habitum, Logicam, quæ in Post-prædicamentis definitur sequi, non præcedere; nam *Privatio physica, est absentia formæ in materia dispositâ ad hanc formam recipiendam: Logica privatio* est *absentia* vel *negatio formæ seu habitus qui prius inerat.*

4 A privatione (tollente tantùm actum) ad habitum potest dari regressus: ut à *tenebris ad lucem*.

5 A privatione Logica (tollente potentiam & actum simul) ad habitum non potest dari regressus: ut à *morte* ad *vitam* naturaliter.

Leges de Contradictoriè oppositis.

De *Contradictoriè oppositis*, observa hæc sex,

1 Contradictentia esse duplicia, { 1 *Complexa*, quæ sunt propositiones & qualitate & quantitate repugnantes, in quibus est idem subjectum & prædicatum.

2 *Incom-*

2 *Incomplexa*, quæ sunt duo termini propositionis: ut *homo*, non *homo*.

2 Contradictoria complexa differre à reliquis oppositis, quia unum est semper verum, alterum falsum; non autem sic in reliquis, quia in simplicibus nulla est veritas aut falsitas propriè.

3 *Aristotelem* agere de complexis contradictoriis, in hunc finem, ut melius cognoscantur simplicia.

4 Contradictoriorum Simplicium, alterum de quovis ente, seu non ente aptum esse prædicari: ut, *Omne quod est, est vel lapis, vel non lapis.*

5 Contradictoria simplicia nunquam affirmari de eodem simul, & eodem respectu: ut, *nihil est homo, & non homo simul, & eodem respectu.*

6 Inter Contradictoria nullum esse medium, vel *Formæ* vel *Subjecti*.

CAPUT. 2.

De Modis Prioris.

De Modis prioris videndum est,

Quotuplices sint: est autem aliquid alio prius quatuor modis.

1 *Tempore*, quod tempore antecedit, & est antiquius: ut, *Senex* est prior *Juvene*, & *Pater filio*.

2 *Naturâ*, idque

1 *Consequutionem*, & tum illud est prius, à quo retro non sequitur existendi consequutio: ut verè sequitur, *homo*

Prius quot modis.

duplici-ter vel quoad

homo est, ergo *est animal*; sed non sequitur *animal est*, ergo *est homo*; itaque *animal* est prius naturâ quàm *homo*, & *Genus Specie*.

2 *Causationem* seu in causando: sic causa est prior naturâ suo effectu.

2 *Ordine*, quod in scientiis primò subvenit tractandum secundum ordinem; sic, *literæ Syllabis* sunt priores.

3 *Honore*, quod prius est dignitate & præstantius: sic *Rex* prior est *subditis* & *virtus divitiis*.

1 *Aristoteles* non enumerat omnes modos prioris, sed eos tantùm qui maximè usitati sunt, & ad quos reliqui revocari possint: unde *prius loco* refertur ad prius dignitate.

2 Ex his modis prioris intelligere possumus modos posterioris: nam *quot modis dicitur unum oppositorum tot modis dicitur alterum*.

Leges priorum.

3 Quænam sint observanda de his modis; notanda sunt hæc octo,

3 Etsi sint tantùm quatuor modi prioris in genere: sunt tamen quinque in specie secundum versiculos.

Tempore, naturâ, prius ordine dico & honore.

Causam causato, dicimus esse prius.

4 Ut æternis nihil est prius tempore, sed naturâ est prius: ut *animal* est prius *homine* naturâ.

5 Omnis causa est prior naturâ in causando, non in consequendo: ita, *rationale* est prius *homine* in causando, non in

in consequendo.

6 Quæ reciprocantur neutrum est prius altero in consequendo: nam utrinque retrò sequitur argumentum.

7 Aliquid est prius ordine dupliciter, vel
- 1 Quoad *naturam*: quando ea quæ sunt naturâ priora, prius tractantur, ut universaliora in scientiis contemplativis.
- 2 Quoad *nos*: quando illud quod nos cognoscimus facilius, prius traditur, etsi non sit naturâ prius: sic *Species* apud *Porphyrium* præcedit *genus*.

8 Idem potest esse prius naturâ & in causando & in consequendo, ut *animal* est prius *homine*.

CAPUT. 3.

De Modis Simul.

DE Modis *Simul* videndum.

1 Quinam, & quot sunt *Modi Simul*, aliqua autem dicuntur esse simul dupliciter, scilicet *tempore*, vel *naturâ*. *Simul quot modis aliquid dicitur.*

Tempore, simul sunt quæ oriuntur & occidunt simul: ut *homo* & *risibile*, & omnis passio cum subjecto suo.

Naturâ simul aliqua vel, in
- 1 *Consequendo*, quæ reciprocantur in argumentos ita ut si unum sit, alterum erit, & neutrum sit causa alterius, sic *pater* & *filius*, & omnia relata secundum esse sint simul naturâ.
- 2 *Dividendo*, quæ æqualiter eidem ge-

nus univocum dividunt: ut, *homo* & *brutum*, nam utrumque naturam generis æqualiter respicit.

2 Quænam regulæ hic sunt observandæ:

1 *Simul* res dici possunt pluribus modis, sed hi maximè usitati sunt, & ex his, & prædictis modis Prioris, reliqui cognoscendi sunt: ideoque ab *Aristotele* omissi sunt.

2 *Tempore* aliquid dicuntur *simul* impropriè, quæ sunt in eodem tempore, etsi non simul oriantur: ut, dicimus *Socratem* & *Platonem simul fuisse tempore*, *quia eodem tempore vixerunt*; sed prius tempore propriè dicitur, quod supra est definitum.

Leges de modis simul.

3 Aliqua sunt simul tempore, quorum unum est prius naturâ altero; ut, *homo* & *risibile*, nam homo est prior naturâ; sed sunt simul tempore.

4 Ut aliqua sint naturâ simul in consequendo } 1 *Reciprocentur* in argumentatione, adeò ut posito uno ponatur alterum, & sublato uno tollatur alterum.
requiruntur hæc duo, ut } 2 *Neutrum sit causa alterius.*

5 Quæcunque sunt simul *naturâ* in *consequendo*, sunt etiam simul *tempore*, nam neutrum sine altero existit.

6 Omnia *Relata* sunt simul *naturâ* in *consequendo*.

7 Nulla *causa* est simul *naturâ* cum suo *effectu*.

8 Species duæ contradictiæ ejusdem generis univoci, sunt semper simul *naturâ* in *dividendo*.

9 Genus respicit æquè suas species; ideòque illæ dicuntur simul naturâ in ordine ad genus.

10 Species si considerentur inter se, una est prior alia; si autem referantur ad genus sunt simul: ut, *una quantitas & discreta*

11 Species Analogi generis aut Æquivoci, non sunt

sunt simul *naturâ*: ut, *Substantia* & *Accidens*, quæ sunt species *Entis*.

CAPUT. 4.

De Modis Habendi.

Habere octo modis dicimur, vel ut *habere*

1 *Habitum* & *dispositionem*; & sic refertur ad prædicamentum *Qualitatis*.

2 *Quantitatem*; & refertur ad prædicamentum *Quantitatis*.

3 *Vestem*; & alia quæ sunt circa corpus, sive totum, & refertur ad *Habitum*.

4 *Aliquid in parte*; ut, habere *annulum in digito*, & alia quæ sunt circa partes; & refertur ad *Habitum*.

5 *Partem*; ut, habere *manum*, & hoc refertur ad *Substantiam*.

6 *In vase*; ut habere triticum, & refertur ad *Ubi*.

7 *Possessionem*; ut, habere *domum*, & refertur ad *Relationem*.

8 *Usurem*, qui modus est omnium maximè improprius: *secundum Arist.*

CAPUT. 5.

De Motu.

De Motu hæc quatuor sunt observanda. 1 Quædam præcognita. 2 Quid sit. 3 Quotuplex. 4 Quæ leges illius.

1 *Præcognita* observanda sunt, tùm ad Motûs

- 1 *Definitionem*, & sunt tria,
  - 1 *Subjectum* cui inest.
  - 2 *Termini* duo, scilicet
    - 1 A quo.
    - 2 Ad quem.
  - 3 *Mensura, tempus* aut *instans*. Et ex his tribus omnis motus est definiendus.
- 2 *Divisionem*, & sunt tria;
  - 1 *Motus* dupliciter sumitur;
    - 1 *Generaliter* pro quavis mutatione, sive sit in Tempore, sive in Instanti, & sic complectitur *Generationem* & *Corruptionem*.
    - 2 *Specialiter* pro mutatione quæ fit & mensuratur Tempore, & sic motus complectitur quatuor Species: & non Generationem & Corruptionem.
  - 2 *Motus*, ut hîc dividitur, est motus (generaliter sumptus) ut complectitur omnes has mutationes.
  - 3 *Motus* etsi ponatur esse Postprædicamentum, est tamen in prædicamento: sed diverso modo. In prædicamento Passionis quatenus consideratur secundùm naturam suam à superioribus acceptam: hîc verò ut secundùm Terminos accipitur.

2 Motus

2 Motus *in Genere* sic definitur: *Motus* est mutatio in Subjecto, (viz. *vel in materia prima, vel in corpore*) ab uno termino (scil. *à quo*) ad alium (viz. *ad quem*) facta, vel in Tempore vel in Instanti. *Motus Definitio.*

3 *Motus* est duplex *Instantaneus* vel *Successivus*. *Motus Divisio.*

- 1 *Instantaneus*, qui fit in instanti: estque vel:
  - 1 *Generatio*, quæ est *mutatio*, vel in materia prima, vel secunda, *ut in Subjecto*, facta à *privatione formæ*, tanquam termino à quo, *ad formam*, ut terminum ad quem.
  - 2 *Corruptio*, quæ est *mutatio* in eâdem materiâ facta, à forma substantiali ad illius privationem; sive, ab ente ad non ens.
- 2 *Successivus*, qui fit in Tempore.

Motus autem successivus est vel, ad

- 1 *Quantitatem*, cujus termini sunt in Quantitate: estque vel,
  - 1 *Augmentatio*, quæ est mutatio successiva à quantitate *minori* ad *majorem*, facta in corpore.
  - 2 *Diminutio*, quæ est mutatio successiva in corpore, facta à *majori* quantitate in *minorem*.
- 2 *Qualitatem*, & dicitur *Alteratio*, quæ est mutatio successiva à contraria qualitate ad contrariam qualitatem.
- 3 *Ubi*, & dicitur *motus Localis*, sive Latio, quæ est mutatio successiva facta in corpore, & est ab uno loco ad alium.

Observandæ sunt hæ quinque

1 Omnis motus distinguitur per terminum suum ad quem formaliter consideratum: Nam licet augmentatio & diminutio sint ad quantitatem, hæc tamen est ad *minorem*; illa ad *majorem*.

2 Motus aliqui *per mensuram* distinguuntur: *Regulæ de Motu.*

propositiones seu *Regulæ.*

guntur: ut generatio & corruptio distinguuntur à cæteris per hoc; quod sint in instanti, reliqui in tempore.

3 Motus aliqui distinguuntur *per subjectum*, ut generatio & corruptio sunt in materia prima; reliqui omnes in corpore.

4 Omni *Motui quies* in termino à *quo* contrariatur *privativè*, nam quies est privatio motus, nempe subsequentis, uteunque sit perfectio præcedentis.

5 Motus illi sunt adversè contrarii, quorum termini sunt ita contrarii: nam motus ab *albo* in *nigrum* est contrarius motui à *nigro* in *album*.

De motu copiosiùs & accuratiùs differere pertinet ad Naturalem Philosophiam; ideò hæc diguſtasse sit satis.

Finis postprædicamentorum.

De Definitione Apendix.

Hactenus de terminis simpliciter simplicibus dictum fuit, sequuntur termini simplices orti, de quibus hîc sigillatim dicendi locus non erat, de iis igitur quorum usus est ubique frequentissimus, *definitione* scilicet & *divisione*, quædam præguſtanda sunt: primùm de *definitione* hæc tria sunt pertractanda.

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quæ sint ejus proprietates.

Definitio quid.

Definitio est definiti explicatio.

Definitio quotuplex.

Definitio est duplex, *Nominalis* vel *Realis*.

1 *Nominalis*, quæ reddit nominis significationem, sive sit per Synonymam notioris vocabuli; sive per Etymologiam definiti: ut, *Fortitudo est metus perma-*

neris,

manens. Solstitium est Solis statio, &c.

2 *Realis*, quæ ostendit quid res sit; estque vel *Accidentalis* vel *Essentialis*.

1 *Accidentalis* seu descriptiva, quæ rei naturam explicat per terminos quosdam accidentales, & constat ex genere, vel ex eo quod supplet locum generis; & accidentibus propriis vel communibus, quæ supplent locum differentiæ: ut *homo est animal risibile, bipes, implume*; Et quia cognitio nostra incipit ab accidentibus ideò hujus descriptionis maximus est apud omnes usus.

2 *Essentialis*, quæ per terminos essentiales rem explicat; sive termini rem seu definitum
- 1 *Constituant*, & tum est *Substantiæ* formalis definitio, quæ exactissimè speciei naturam explicat, constans tantùm ex genere & differentia; ut *homo est animal rationale*, & hæc dicitur definitio κατ' ἐξοχήν.
- 2 Partim constituant, partim necessariò *producant*, & tum est definitio *accidentis*; estque triplex,
  - 1 *Formalis*, quæ constat ex accidentis genere & subjecto: nam subjectum accidentis est instar suæ formæ: ut, *Tonitrus est sonus in nubibus*.
  - 2 *Causalis*, quæ definiti naturam demonstrat, estque accidentis causa proxima, efficiens, vel finalis.
  - 3 *Aggregata* ex *causali* & *formali*; quæ definiti genus, subjectum, & causam indicat: ut si definiatur *Eclipsis, privatio Luminis in Lunâ ob terram interpositam*: Genus est *privatio*, differentia (seu forma) est subjectum (scilicet *Luna*) & causa efficiens, *terra interposita*.

Regulæ *definitionis* sunt septem.

1 In omni scientia definitio nominis primùm tradenda est. *Regulæ de Definitione.*

2 Descriptio potest cuivis rei competere tam substantiali quàm accidentali.

3 Sola species definitur definitione formali.

4 Solùm accidens definitur causali & aggregatâ definitione.

5 Definitio conflata ex formali & causali differt à demonstratione tantùm situ & dispositione terminorum.

6 Omnis definitio descriptiva, formalis, aut aggregata est oratio.

7 Omnis bona definitio reciprocatur cum definito.

Hæc de Definitione.

De Divisione.

Post definitionis tractationem *divisionem* aggredior, ubi tria sunt declaranda.

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quæ sint Proprietates.

Divisio quid.

Divisio, est latiùs patentis in membra angustiora deductio: estque vel 1 *vocis* ambiguæ in suas significationes, & dicitur *distinctio*, vel 2 *Totius* in suas partes: *totum* autem est vel *simplex* vel *aggregatum*.

Divisio quotuplex.

Divisio totius *Simplicis* & per se in partes simplices est triplex, vel

1 *Universalis* in partes subjectivas per differentias essentiales. Et hæc est semper generis in suas species & κατ' ἐξοχὴν divisio dicitur.

2 *Essentialis* in partes constituentes: & hæc est divisio speciei in genus & differentiam, seu naturæ specificæ in materiam & formam.

3 *Integralis* in partes integrantes, & hæc est partitio individui in partes suas sensibiles seu materiales.

Divisio

Divisio totius Aggregativi & per accidens in partes aggregatas est duplex,

1 Cùm *subjectum* dividatur per sua *accidentia*: ut *homines* sunt *docti* vel *indocti*.

2 Cùm *accidens* dividatur per *subjecta*: ut *febres* sunt in *spiritibus*, vel *humoribus*, vel *partibus solidis*.

3 Cùm *accidens* per *accidentia* dividatur: ut *bonum* est vel *utile*, *honestum* vel *jucundum*.

4 Cùm *potentiæ* dividuntur per *objecta*: ut *visus* est circa *colorem*, *auditus* circa *sonum*, &c.

5 Cùm *causæ* dividuntur per *effectus*, & contrà: ut *calor cœlestis* est à *sole elementato* ab igne.

Regulæ de divisione sequuntur

1 Necesse est ut vox ambigua distinguatur antequam res ulla definiatur.

2 Nisi in principio ambiguus extendatur, æqualis in progressu erit major.

3 In divisione totius per se, divisum & membra dividentia debent esse adæquata. *Divisionis leges.*

4 Membra dividentia debent inter se esse opposita.

5 Divisio (si commodè fiat) debet esse bimembris.

6 In omni divisione divisum latiùs patet alterutro membro dividente.

Hæc de Divisione dixisse sat erit.

Quæ hactenus tractavimus (primò de prædicabilibus, mox de prædicamentis, & iis quæ ante & post prædicamenta sunt cognoscenda, de terminis simplicibus tam primis quàm ortis) aliqui ponunt tantùm loco præfationis ad universam Logicæ doctrinam ipsumque

sumque volunt Logicæ tractatum à Nominis & Verbi definitionibus inchoari: fatemur nomen & verbum propinquiorem esse propositionis materiam: ut & subjectum, copulam, prædicatum: quæ omnia ob eandem causam prætervimus; & in secunda parte Logicæ propositioni in genere subjunximus: verumtamen cum Logicæ divisio secundum tres actus intellectûs, non sit minùs evidens & certa, quàm interoptimos approbata; vel sola tractatio de argumentatione dicenda est Logica, & reliqua omnia ejus præcognita; nempe termini simplices prædicti, occupabunt primam Logicæ partem, quæ dirigit intellectum in actu primo, sive simplici rerum conceptu: neque minùs præfationis locum habent nomen & verbum ad propositionem, & propositio ad syllogismum; quàm ad nomen & verbum prædicamenta, quæ non quatenus res per se, sed quatenus secundis notionibus (scilicet subjecto & prædicato, generi & speciei, &c.) substernuntur, sunt Logicæ considerationis, & argumentationis principia, seu materia remota.

LIBER TERTIUS.

CAPUT. I.

De Propositione.

IAM Propero ad secundam Logicæ partem, quæ dirigit secundum mentis actum in apprehensione rerum complexarum interventu & subsidio Propositionis, ubi nonnulla adhuc dicemus de terminis simplicibus (præsertim de *nomine & verbo, subjecto prædicato & copula*) in quantum sunt materia immediata ex qua constat omnis propositio. De propositione autem agendum est dupliciter.

1 Seorsim

1 Seorsim & per se, ubi declaranda sunt tria.
  1 Quid sit.
  2 Quotuplex sit.
  3 Quæ sint ejus proprietates.
2 Conjunctim quatenùs conjungitur cum aliâ ad argumentationem faciendam.

Ut *definiatur*, videndum est 1 quid significet nomen ipsum: 2 quæ sit ejus definitio.

Positionis *nomen* significat orationem, quâ proponimus sensa & cogitata mentis nostræ; à *proponendo* sic dicta: sed ut definitio rectiùs tradatur, diligenter advertenda est hæc de *sono* secundum species suas divisio.

Sonus est quicquid audiri potest; estque vel *fragor* vel *vox*.

1 *Fragor*, qui fit ex quavis collisione duorum corporum solidorum: ut *tintinnabulum campanæ*.

2 *Vox*, quæ certis instrumentis ab animantis ore profertur. *Instrumenta novem sunt guttur, lingua, palatum, quatuor & dentes, & duo labra simul.*

Vox autem est vel non *significativa* vel *significativa*.

1 *Non significativa*, quæ vel nihil significat, vel non determinatum mentis conceptum; ut *Buff, Baff*.

2 *Significativa*, quæ aliquid significat, sive quæ est notificativa conceptuum internorum: idque *naturaliter*, vel ad *placitum*.

1 *Naturaliter*: quæ naturali solùm instinctu conceptus vel passiones internas exprimit: ut omnes *brutorum* (quotquot sonitum efficiunt) *voces gallicantus, balatus ovium, rugitus Leonum, Canum latratus, &c.*

2 *Ad placitum*, quæ hoc vel illud significat pro imperantis arbitrio; sive casu contigit, seu consilio;

consilio; eoque vel divino; ut impositio nominum *Abrahami*, *Israelis*: vel humana: estque *simplex* vel *complexa*.

1 *Simplex* cujus partes separatæ & per se sumptæ nihil significant, vel nihil quale conjunctim significabant: estque *Categorematica* vel *Syncategorematica*.

1 *Categorematica*: sive per se *significativa* quæ per se rem integrè significat.

1 *Verbum*, quod adsignificat, sive significat aliquid cum certa temporis differentiâ *præsentis*, *præteriti*, aut *futuri* (atque huc referantur etiam verborum participia) estque vel

1 *Subsantivum* quod significat substantiam rei una cum tempore differentiâ, ut verbum (*est*) quoties est secundum adjacens, ut *homo est*. Nam cùm est tertium adjacens, significat tantùm connexionem terminorum, ut *Socrates est homo*.

2 *Adjectivum*, quod aliquid adjectum præter rei substantiam notat, ut *ambulat*.

2 *Nomen*, quod significat aliquid absque ulla temporis differentia atque huc referantur omnia pronomina substantiva; ut *ego*, *tu*, *ille*, &c.) estque vel vox

1 *Primæ intentionis*, quæ immediatè rem simplicem indigitat absque respectu ad disciplinarum terminos, & tales in *Prædicamentis* immediatè substernuntur prædicabilibus, quas *vid. lib.* 2.

2 *Secundæ intentionis*, quæ non immediatè rem simplicem designat; sed est notio secundæ priori imposita, quæ hinc τεχνολογημα, sive vox artis dicetur.

1 *Syn-*

1 *Syncategorematica*, sive consignificativa: quæ cum per se sit ad rem significandam & propositionem constituendam inepta, unâ tamen cum aliis rem significat, & propositionem ingreditur: estque 1 verbum, *est*, quoties est tertium adjacens, sive copula subjecti & prædicati: ut, *nix est alba*. 2 Omnia signa quantitatis in propositionibus: ut *omnis, quidam*, &c. 3 Omnia apud Grammaticos, *Adverbia, Conjunctiones, Præpositiones, Interjectiones*, quorum vel nomina satis indicant eorum ab aliis dependentiam.

¶ 2 *Complexa*, cuius partes separatæ & per se sumptæ idem significant, quod coniunctim significabant: estque *Oratio*, quæ est *imperfecta* vel *perfecta*.

1 *Imperfecta*, quæ non relinquit perfectum sensum in animo audientis: ut, *animal rationale; homo doctus*.

2 *Perfecta*, quæ relinquit perfectum sensum in animo audientis; estque vel

1 *Non enunciativa*, quæ neque verum nec falsum significat, & cuius nullus est usus apud Logicos: estque
1 Interrogativa: ut, *quis civitatem prodidit*.
2 Imperativa: ut *Incumbite libris*.
3 Optativa: ut *O mihi præteritos referat si Iupiter annos!*

2 *Enunciativa*, sive Indicativa, quâ verum vel falsum indicamus; estque vel affirmando vel negando. Estque vel *cum ambiguitate*, cùm aliqua vox est ambigua: ut *Canis est in ano* vel *sine ambiguitate*, cùm nulla vox est ambigua, & hæc est *Propositio*: ut, *homo est animal*.

Hinc propositionem definio. *Propositio* est oratio sive vox complexa, perfecta, indicativa, indicans verum vel falsum, sine ambiguitate; & per hanc definitionem *Propositio quid.*

finitionem

finitionem differt & distinguitur propositio ab omni alio quocunque.

Partes propositionis.

Quid sit propositio dixi: ex quibus constat nunc dicendum est: partes sunt vel signantes, vel signatæ;

1 *Signantes*, quales sunt voces simplices categorematicæ, & Syncategorematicæ, ut suprà.

2 *Signatæ*, & sunt tres, *Subjectum*, *Prædicatum*, & *Copula*: quæ sic definiuntur.

1 *Subjectum*, est omne illud quod præcedit copulam in propositione: ut homo est *animal*: (ibi *homo* est subjectum.)

2 *Prædicatum*, est omne illud quod de subjecto prædicatur, seu quod sequitur copulam in propositione: ut homo est *animal*: (ibi *animal* est prædicatum.)

3 *Copula*: est verbum principale connectens subjectum & prædicatum, & est in omni propositione Verbum (*Est*) aut aliqua persona illius verbi substantivi, *sum, es, fui*: aut verbi adjectivi, ut, *Socrates vixit Athenis*.

Notandum subjectum præcedere & prædicatum sequi copulam non semper situ terminorum, sed sensu & constructione: ut in hâc propositione, *Ardua est via ad virtutem*: *Via ad virtutem* est subjectum, & *Ardua* prædicatum.

Hîc autem observandum est, quòd propositio est duplex,

1 *Explicita*, seu expressa; in quâ hæ tres partes, subjectum, copula, & prædicatum, exprimuntur: ut, *homo est animal*.

2 *Implicita*, in qua omnes hæ tres partes, subjectum prædicatum, & copula non exprimuntur, sed quædam implicantur: & si resolvatur Propositio, in *participium* & *personam verbi substantivi sum, es, fui*, mutatur; atque sic explicatur: ut, *ambulo*,

si est, *ego sum deambulans*: & tum omnes propositionis partes sunt in ea expressæ.

Hæc de Propositione in genere.

CAPUT. 6.

De Divisione Propositionis.

PErgo nunc ad id quod secundo loco proposui, ut explicem quotuplex sit propositio: & ut ponam propositionis divisionem: Dividitur propositio tripliciter, scil. secundum *Substantiam*, *Quantitatem*, & *Qualitatem*.

1 Secundum *Substantiam*, seu partes ex quibus constat, atque sic est vel

1. *Categorica*, quæ constat ex uno subjecto, uno prædicato, & una copulâ. Materia itaque ejus sunt termini simplices, ut *homo est risibilis*.

2. *Hypothetica*, quæ constat ex duabus categoricis per aliquam conjunctionem connexis. Et ejus materia proxima sunt duæ *propositiones*, & copula est *conjunctio* aliqua utrasque connectens: Ut, *si homo sit rationalis, tum est risibilis. vid. cap. 6.*

Quotuplex sit propositio.

2 Secundum *qualitatem* dividitur propositio: notandum *Qualitatem* esse duplicem.

1 *Rei*, quæ propositioni convenit ratione rei subsistratæ: unde Propositio *vera* vel *falsa* dicitur, quia in re ita est vel non est. Et hæc appellatur qualitas *fundamentalis*, materialis & remota.

2 *Signi* seu vocis, quæ immediatè propositioni convenit: & dicitur qualitas *formalis* & immediata: unde propositio est, vel *affirmativa* vel *negativa*.

1 *Aff.* quâ aliquid de aliquo affirmamus. Et hujus nota est quòd negatio, *Non*, non præcedit copulam: ut *homo est doctus.*

2 *Neg.* quâ aliquid de aliquo negamus. Et hujus nota est, quòd negatio, *Non*, præcedit copulam: ut, *homo non est doctus.*

Utraque rursus vel est

1 *Pura*, quando subjectum & prædicatum efferuntur absque modo: ut *homo est justus.*

2 *Modalis*, quando modus aliquis annectitur: ut, *necesse est hominem esse animal. v. c. 7.*

Nota quòd negatio, *Non*, præcedit copulam vel actu & expresse: ut, *homo non est lapis* Vel virtute & efficaciâ: ut, *nullus homo est lapis, nullus* enim idem sonat quod *non aliquis.*

3 Secundum *Quantitatem* propositio est quadruplex;

1 *Universalis*, quando subjecto communi præponitur nota universalis: ut *omnis homo est animal.*

2 *Particularis*, quando subjecto communi præponitur nota particularis: ut, *aliquis homo est animal.*

3 *Indefinita*, quando subjecto communi nulla nota præponitur, neque universalis neque particularis: ut, *homo est doctus.*

4 *Singularis*, in qua subjectum

Nomen proprium & singulare: ut *Socrates est Philosophus.*

Nomen commune cum notâ singulari, qualis nota est pronomen demonstrativum *hic, hæc, hoc*: ut *hic homo est doctus.*

Ad pleniorem eorum quæ dicta sunt explicationem,

nem, quæ sequuntur observanda sunt.

1 *Nota* non est pars propositionis, sed est signum quantitatis in aliqua propositione.

1 *Notæ* aliquę sunt,

Universales, 1 affirmativæ: ut, *omnis, semper, quilibet, quandocunque.* 2 Negativæ: ut, *nullus, nemo, nunquam.*

Particulares, 1 affirmativæ: ut, *quidam aliquis, nonnullus, nonnemo, nonnunquam, quandoque, aliquando.* 2 Negativæ: ut *non omnis.*

Singulares, ut sunt pronomina demonstrativa, quæ certam aliquam rem designant: ut, *hic, ille, ipse*, & vox (*omnis*) quando sumitur collectivè, non distributivè: ut, *omnes digiti sunt quinque.*

Notæ quantitatis.

3 *Propositio Indefinita* in materia necessariâ est æquivalens universali: in materia verò contingenti est æquivalens particulari. Materia est *Necessaria* quando subjectum non potest esse sine prædicato. *Contingens* quando subjectum potest esse sine prædicato: ut, *homo est doctus*, est in materia contingenti; *homo est animal*, est in materia necessaria; *homo enim non potest esse, nisi sit animal.*

4 Secundum hanc triplicem divisionem triplex oritur quæstio de propositione. *quæ sit? qualis? quanta?* Ad hæc quæque notato, quòd si quæratur, *quæ sit propositio?* respondendum est; Est *Categorica* vel *Hypothetica*: si *qualis?* respondendum est; *Affirmativa* vel *Negativa*: si *quanta?* respondendum est, *universalis, particularis, Indefinita* aut *singularis*, juxta versiculum.

Que? Ca: vel Hyp: *Qualis?* Ne: vel Affi:) *Uni: Quanta?* Par: Ind: Sing:

CAPUT. 3.

De Oppositione Propositionis.

Affectiones propositionis.

POst divisionem propositionis & definitionem, pergo ad Affectiones propositionis declarandas, non affectiones propositionis in se consideratæ (sic enim *Veritas & Falsitas*, *Affirmatio & Negatio* quæ in præcedentibus tractatæ sunt, sunt affectiones propositionis) sed quæ oriuntur ex collatione unius propositionis cum alia.

Affectiones propositionis (ut una ad aliam refertur) sunt tres.
1. Oppositio.
2. Æquipollentia.
3. Conversio.

De tribus hîc ordine dicendum est, & 1. de Oppositione: in qua tria sunt consideranda;

1. Quid sit oppositio.
2. Quotuplex sit.
3. Quæ sint leges oppositarum propositionum.

Oppositio quid.

Quod ad primum attinet, eam sic definio, *Oppositio* propositionum est repugnantia duarum propositionum, vel in qualitate solâ, vel in quantitate solâ, vel in quantitate & qualitate simul, in quibus est idem Subiectum, idem prædicatum & eadem copula: ut, *omnis homo est justus*: *nullus homo est justus*.

Unde liquet quod hæ quinq; con-

1. Ut sint duæ propositiones eæque *repugnantes*, unde hæ non sunt oppositæ, *homo est animal*, *homo est animal*, quia nec sunt duæ sed una, nec repugnantes sed eædem.
2. Ut *differant* vel in *Quantitate*, vel in *Qualitate*, vel in *Utrâque*, unde hæ

ditiones requiruntur, ut aliquæ propositiones dicantur oppositæ.

hæ non opponuntur: *aliquis homo est doctus, nonnullus homo est doctus:* nam voce solùm differunt, sed neque qualitate, nec quantitate.

3 Ut *idem* sit *Subiectum, idem prædicatum* in utraque propositione, unde hæ non opponuntur, *homo est albus, homo est niger,* quia idem non est prædicatum utrobique; sensu enim & reipsa opponuntur simplices isti termini *Albus* & *Niger* (de qua oppositione egimus in cap. 1. de *Postprædicamentis*) sed secundum formam oppositionis propositionum non opponuntur.

4 Ut sint *ad idem*, unde hæ non opponuntur, *Æthiops est albus*, scil. *dentes: Æthiops non est albus*, (id est, *toto corpore.*)

5 Ut sint oppositæ respectu *ejusdem temporis:* aliter non opponuntur, ut, *Demosthenes erat blæsus, Demosthenes non erat blæsus:* nam si diversa tempora consideremus, utraque propositio est vera.

Quid sit oppositio propositionum dixi, venio ad ostendendum. 2 Quotuplex sit.

1 *Contrariæ*, quarum utraque est universalis, sed una affirmativa, altera negativa, ut hæ, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*, unde differunt qualitate non quantitate.

2 *Subcontrariæ*; quarum utraque est particularis, sed una affirmativa, altera negativa, unde differunt qualitate non

Quotuplex Oppositio

Propositiones oppositæ sunt quadruplices.

quantitate: ut *quidam homo est doctus, quidam homo non est doctus.*

3 *Subalternatæ*, quarum eadem est qualitas, sed diversa quantitas: ut si una affirmet, altera affirmat, si una neget, altera negat, sed una est universalis, altera particularis: ut *omnis homo est animal, quidam homo est animal.* Unde differunt quantitate, non qualitate.

4 *Contradictoriæ*, quæ repugnant, & qualitate & quantitate: ut, si una affirmet, altera negat; si una sit universalis, altera est particularis; ut, *Omnis homo est animal, aliquis homo non est animal.*

Hinc patet. 1 Omnem propositionem alicui opponi: 2 Omnem propositionem (quæ opponitur) opponi contrariè vel subcontrariè, subalternè, vel contradictoriè; quæ omnia ex hoc typo facilius intelligantur.

Omnis



Quid sit & quotuplex oppositio videmus, nunc leges oppositarum propositionum sunt ostendendæ. *Leges oppositarum propositionum.*

1 Contradictoriarum sunt hæ quatuor leges.

1 Contradictoriæ sunt oppositarum maximæ, quia repugnant & qualitate & quantitate.

2 Contradictoriæ nunquam vel veræ simul, vel falsæ esse possunt: sed si una sit vera, altera erit falsa, ut *omnis homo est justus*, *quidam homo non est justus*.

3 Omnis Propositio cujuscunque sit quantitatis aut qualitatis opponitur uni contradictoriè, & tantum uni.

4 In omni legitima disputatione semper concludenda

denda contradictoria propositio theſi reſpondentis.

1 Obſerva *Contradictorias* eſſe duplices, quæ diverſitas oritur ex diverſitate ſubiecti: nam aliæ ſunt de ſubiecto
- *Communi*, quales ſunt illæ de quibus hactenus locuti ſumus.
- *Singulari*, & quę ſunt duæ propoſitiones ſingulares in quibus eſt idem ſubiectum, idem prædicatum, ſed una affirmat, altera negat, ut hæ: *Socrates eſt doctus, Socrates non eſt doctus.*

2 *Subalternarum* leges ſunt duæ.
1 Si ſubalternans propoſitio, ſeu univerſalis ſit vera, tum ſubalternata, ſeu particularis, eſt vera, non contrà: ut ſi hæc ſit vera, *omnis homo eſt doctus*, etiam hæc eſt vera *quidam homo eſt doctus*.
2 Si ſubalternata ſeu particularis ſit falſa, etiam ſubalternans, ſeu univerſalis erit falſa, ſed non contrà: ut ſi hæc ſit falſa, *quidam homo eſt doctus*, falſa erit hæc *omnis homo eſt doctus*.

3 Contrariarum eſt una lex: quòd nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed poſſunt eſſe ſimul falſæ: nempe in materia contingenti, ut hæ ambæ ſunt falſæ, *omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus.*

Subcontrariarum eſt lex una, quòd ſimul veræ eſſe poſſunt, ſed ſimul falſæ eſſe non poſſunt, ut hæ ſunt veræ, *quidam homo eſt doctus, quidam homo non eſt doctus.*

Ex his quæ dicta ſunt patet, & quæ ſit oppoſitio, & quotuplex, & quæ ſint oppoſitarum propoſitionum leges: ac de prima affectione propoſitionum (quæ eſt *oppoſitio*) hæc dicta ſunto.

CAP. 4.

CAPUT. 4.

De Æquipollentia propositionum.

VEnio ad secundam propositionis proprietatem quę est Æquipollentia, de qua tria sunt ostendenda.

1 Quid sit.
2 Qui sint diversi modi æquipolientiarum.
3 Quæ regulæ sint observandæ.

Æquipollentiam sic definio. Æquipollentia est æquivalentia duarum propositionum quoad sensum & significationem, licet verbis discrepant, virtute negationis *non*, vel præfixæ signo & subiecto, vel postfixæ signo & subiecto, vel præfixæ & postfixæ simul, in quibus est idem subiectum, & idem prædicatum, ut *nonnullus homo est doctus, quidam homo est doctus.* *Æquipollentia quid*

Unde liquet quod ad debitam æquipollentiam requiruntur hæ conditiones.

1 Ut sint *duæ* propositiones.

2 Ut hæ duæ *sensum eundem* habeant, ita ut utraque sit affirmativa, vel utraque negativa, utraque vera, vel falsa, utraque ejusdem quantitatis.

3 Ut *voce differant*, nam voces diversas habeant.

4 Ut æquivaleant gratiâ negationis *non*, unde hæ non æquivalent nisi sensu solo, & materialiter non autem formaliter (quomodo nos hîc accipimus æquipollentiam) *homo est doctus, homo est eruditus.*

5 Ut negatio *non* vel præponatur signo & subiecto, vel postponatur, vel utrobique locetur, quod si sequatur verbum nihil ad æquipollentiam spectat.

6 Ut idem sit subiectum utrobique, & idem prædicatum.

Quid sit Æquipollentia vidimus, nunc diversum modum Æquipollendi declaramus; is autem oritur ex diversa negationis *non* collocatione, nam tribus modis collocari possit: & secundum varium modum facit diversas propositiones æquipollere.

Æquipollentia quoplex:

Negatio (*non*) signo & subjecto, vel

Præponitur solùm, & tùm facit duas contradictorias æquipollere: ut, *nonnullus homo est doctus*, *quidam homo est doctus*.

Postponitur solùm, & tùm facit duas contrarias æquipollere: ut, *nullus homo non est doctus*, *omnis homo est doctus*: tenet hoc, si prior sit negativa.

Præponitur & postponitur simul, & tùm facit duas subalternas æquipollere: ut, *non omnis homo non est doctus*, *quidam homo est doctus*.

Summa horum hoc vulgari & trito versiculo continetur.

Præ: *contradicit:* post: *contrar:* præ: postque *subaltern:*)

Atque hîc non abs re erit observare: 1 æquipollentes signorum significationes, prout his versiculis continentur.

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.

Nonnullus, quidam: sed nullus non valet omnis.

Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.

Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.

2 Utramque propositionem contradicere, cui una contradicat; aliter æquipollentes non sunt. Atque hæc de æquipollentia sunt dicta.

CAP. 5.

CAPUT. 5.

De Conversione Propositionum.

Ergo nunc ad tertiam propositionis proprietatem, quæ est Conversio, de qua ostendam

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quæ leges in bona conversione observandæ sint.

Conversionem sic definio: est apta mutatio totius subjecti in locum totius prædicati, & totius prædicati in locum totius subjecti; manente eâdem qualitate, sed mutatâ quandoque quantitate: ut *omnis homo est animal, quoddam animal est homo.* *Conversio quid.*

In conversione notanda est propositio

Conversa, quæ convertitur in aliam; estque prior ut, *omnis homo est animal.*

Convertens, in quam alia convertitur, estque posterior ut, *quoddam animal est homo.*

Diximus quid sit conversio; veniamus ad declarandum quotuplex sit.

Conversio duplex.

1 *Simplex*: in quâ mutatur totum prædicatum in locum totius subjecti: & contrà, manente eâdem qualitate, & quantitate: ut, *nullus homo est lapis*, ergò *nullus lapis est homo*: in hac conversione universalis negativa in universalem negativam, & particularis affirmativa in particularem affirmativam convertitur.

2 *Per accidens*, in quâ mutatur totum prædicatum in locum subjecti: & contrà, manente eâdem qualitate, sed mutatâ quantitate: ut, *omnis homo est animal*, ergo *quoddam animal est homo*:

in

in hac conversione universalis affirmativa in particularem affirmativam, & universalis negativa in particularem negativam convertitur.

3 *Per contrapositionem*, in qua mutatur totum subjectum in locum prædicati, & contrà; manente eadem qualitate, & quantitate, sed ex finitis terminis fiunt infiniti, ut *omnis homo est animal*, ergo *omne non animal est non homo*: in hac conversione universalis affirmativa in universalem affirmativam, & particularis negativa in particularem negativam convertitur. Sed hæc omnium maximè est inutilis, & revera nulla conversio, quia mutantur termini, quod in ullâ conversione non est admittendum.

Sed ut hoc clariùs elucescat de terminis, notandum est quòd

termini { *Finiti*, quibus hæc negatio, *non*, non dicuntur præponitur, ut *homo*.
{ *Infiniti*, quibus hæc negatio (*non*) præponitur ut *non homo, non lapis, non doctus*.

Quid sit & quotuplex conversio dixi, nunc regulas explicabo.

Conversionis regulæ.

Regulæ conversionis sunt quatuor.

1 *Si conversa* sit vera, in legitimâ conversione etiam vera est *convertens*, sed non contrà; ut si hæc sit vera, *omnis homo est animal*, & hæc est vera, *quoddam animal est homo*: sed non contrà, nam hæc non est vera, *omnis homo est doctus*, & tamen hæc est vera, *quoddam doctum est homo*.

Omnis propositio non omni modo convertitur, sed omnis *aliquo* modo convertitur; unde hæc non simpliciter convertitur, *omnis homo est animal*; quippe tum convertens esset falsa: ut igitur cognoscamus quæ propositiones quoquo modo convertantur, advertendus est hic versiculus.

Ecce tibi sim: ArmIgErOs acc: ArmA bOnO con.

In quo nota hasce quatuor vocales A. E. I. O. quarum A significat universalem affirmativam, E universalem negativam. I particularem affirmativam. O particularem negativam juxta versiculos.

Asserit A negat E, sed universaliter ambo.
Asserit I negat O sed particulariter ambo.

Prior igitur versus significat E converti in E, & I in I, simplici conversione, id est, universalem negativam in universalem negativam, &c. sic A in I converti, & E in O in conversione *per accidens*. Postremò A in A converti, & O in O *per contrapositionem*.

3 Ut totum prædicatum transmutetur in locum subjecti, & contrà.

4 Ut tempora verbi rectificentur, ut, *aliqua arbor est in agro*, non sic convertitur, ergo *quidam ager est arbor*: sed in hanc, ergo *quoddam in agro est arbor*. *Omnis senex fuit puer*, non sic convertitur *quidam puer fuit senex*, sed sic, ergo *quidam qui fuit puer est senex*.

Itaque quid sit conversio & quotuplex, & quæ sunt leges bonæ conversionis dictum est: & hæc de affectionibus propositionis.

CAPUT. 6.

De Propositione Hypothetica.

Hactenus de propositione *Categorica* dictum est. Nunc dicendum est de *Hypothetica*, de qua tria sunt consideranda.

1 Quid

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quando unaquæque sit vera, quando falsa.

Propositio Hypothetica quid.

Propositionem Hypotheticam sic definio: *Propositio Hypothetica*, seu conjuncta, est propositio constans ex duabus Categoricis conjunctione aliquâ connexis: ut *homo est animal, & homo est doctus.*

Hinc ad propositionem Hypotheticam requiruntur duo.
1 Ut sint duæ categoricæ, vel explicitè vel implicitè.
2 Ut illæ duæ connectantur per aliquam copulam. Unde hæ non sunt Hypotheticæ: *homo est animal, homo est doctus.*

Quid sit propositio Hypothetica videmus, nunc videndum quotuplex sit: est autem triplex, scil. *conditionalis, copulativa* & *disjunctiva.*

1 *Conditionalis*, in qua plures Categoricæ conjunguntur per conjunctionem conditionalem: ut, *si dies est, tum sol lucet*: ad hanc spectat & reducitur *Causalis* propositio, qualis est hæc; *quia sol lucet, est dies*: & ista, *Sol lucet, ergo est dies*. Et nota, primam propositionem Categoricam dici *antecedentem*; secundam dici *consequentem*, quia sequitur ex altera.

2 *Copulativa*, in qua plures Categoricæ conjunguntur per conjunctionem copulativam: ut, *Socrates est doctus & est albus.*

3 *Disjunctiva*, in quâ plures Categoricæ conjunguntur per conjunctionem disjunctivam: ut, *aut dies est, aut nox est.*

Nunc quæ vera vel falsa sit, dicendum est.

1 *Vera*, quando antecedens probat consequentem: ut, si concedatur *diem esse, sequitur Solem lucere*, ideò concessâ antecedente, necesse est etiam concedere

cedere consequentem.

1 Conditionalis est

2 *Falsa*, quando antecedens non probat consequentem, sed concessâ antecedente, non infertur consequens necessariò: ut, concesso *hominem esse animal*, *non sequitur esse doctum*, ideò hæc conditionalis est falsa; *si homo sit animal, tum est doctus.*

1 Copulativa est

1 *Vera*, quando utraque pars est vera: ut hæc est vera, *homo est animal, & est rationalis*, quia utraque pars est vera.

2 *Falsa*, quando vel utraque pars, vel altera tantùm est falsa; ut hæc est falsa, *homo est animal & irrationalis*: quia posterior pars est falsa, nempe, *hominem irrationalem esse.*

3 Disjunctiva est

1 *Vera*, quando vel utraque pars, vel alterutra est vera: ut hæc est vera, *vel dies est, vel nox est*; quia altera pars est vera, etsi altera sit falsa.

2 *Falsa*, quando utraque pars est falsa; ut hæc est falsa: *homo est vel arbor, vel lapis*, quia neutra pars est vera.

Regulæ de Conditionali propositione.

CAPUT. 7.

De Propositione Modali.

HActenus dictum est de propositione *Categorica & Hypothetica*, quatenus sunt puræ & absque modo; restat ut de *Modali* pauca quædam adjicerem. De qua.

Hæc

Hæc tria { 1 Quid sit.
fiunt de- { 2 Quotuplex sit.
claranda { 3 Quæ sint Proprietates.

Propositio Modalis quid.

Propositio *modalis* est in qua præter subjectum, prædicatum, & copulam, adhibemus modificationem, id ostendendum quomodo prædicatum subjecto insit; ut, *impossibile est hominem esse irrationalem.*

Modalium propositionum divisio desumitur ex diversitate Modorum, qui vel respiciunt propositionis *materiam* vel *formam.*

1 Quidam modi respiciunt *Materiam* sive subjectum & prædicatum absq; connexione. Unde & *materialis* dicitur, & ad Grammaticam spectat; estque duplex, vel in qua modus afficit tantùm,

1 *Subjectum*; ut, *qui facilè discit est ingeniosus*: ubi, facilitas est qualificatio discentis.

2 *Prædicatum*, quod frequentiùs accidit. Estque duplex, vel scilicet respiciens

1 *Tempus adsignificatum*; ut *Petrus adfuit diu.*

2 *Rem significatam*, ut, *Equus currit velociter*; cujus classis sunt; *pium est, rectum est, dulce est*, &c. quæ si resolvantur in nomina; fiunt ipsum prædicatum: ut, *Deum colere pium est*, id est *pietas est*: & sic in reliquis evidens est resolutio.

2 Alii modi *formam* respiciunt, sive connexionem terminorum, unde aliqua est *formalis* & logica; cui præsertim convenit definitio modalis; estque duplex: scilicet *principalis*, vel *minùs principalis.*

1 *Principalis*,

Quotuplex Modalis propositio.

1 *Principalis*, in quâ modi sunt Primarii, estq; quadruplex,

1 *Necessaria*, cui *necesse* apponitur; atque definitur, quod est, & aliter esse non potest: ut, *necesse est hominem esse animal.*

2 *Contingens*, cui *contingens* affigitur; & definitur, quod est, & aliter esse potest; vel potest non esse: ut, *contingit cras pluere.*

3 *Impossibile*, cui annectitur *impossibile*, & definitur, quod nec est, neque potest esse: ut, *impossibile est hominem esse brutum.*

3 *Possibile*, cui adest *possibile*, & definitur, quod non est, sed potest esse: ut, *possibile est rosas reflorescere.*

2 *Minùs principalis*, in quâ modi sunt secundarii, quique ad quatuor primos sunt reducendi, ut

1 *Probabile* & *opinabile* reduuntur ad contingens.

2 *Verum* refertur ad necessarium.

3 *Facile* continetur sub possibili.

4 *Difficile* includitur in impossibili.

Hæc ut melius intelligantur advertenda sunt hæc quinque

1 Propositionem modificatam constare ex duobus, *scilicet*, ex

1 *Dicto*, quæ est tota propositio Categorica, quæ supplet locum subjecti tantùm: ut, possibile est *aquam esse calidam.*

2 *Modo*, qui prædicati vicem obtinet, ubicunque ponatur in propositione.

1 In omni propositione modali est *verbum Dicti* & *verbum Modi*; sed hoc posterius est semper principalius & habet

habet officium copulæ.

3 Nullæ propositiones modales præterquam *formales* in Logica spectantur.

4. Hi quatuor modi respiciunt quatuor rerum differentias; nam *res* vel

1 *Semper sunt*, quibus convenit Necessarium esse.

2 *Nunquam sunt*, quibus convenit Impossibile esse: & vel nunquam sunt *Actu*: ut, *numerus infinitus*: vel *Actu nec potentia*: ut, *homo irrationalis*.

3 *Quandoque non sunt, sed possunt esse*; quibus convenit Possibile esse.

4 *Quandoque sunt, sed possunt non esse*. His convenit esse Contingens.

5 Ut quatuor modi distinguantur, requiritur: 1 ut, respiciant idem *Tempus*: alioquin idem erit possibile & impossibile: ut, *impossibile est sedentem currere* (dum sedet;) sed si ad aliud tempus referatur, erit possibile. 2. Ut referantur ad *idem Subjectum*, ut, *Dum ego Socratem video currentem necesse est ut currat*; sed si ad libertatem *Socratis* referatur, tum contingit eum currere.

Modalium Proprietates.

Proprietates Modalium sunt

1 Omnis propositio Modalis (si sit formalis) est singularis. Ubi notandum quod cùm totum dictum ponimus pro subjecto, idem erit ac si dicerem,

quinque quæ plerunque ex simplicium tractatu sunt cognoscendæ.

remus, *hoc*, sive hæc sententia, *scilicet hominem esse animal, est necesse*; nihil enim curamus quę sit quantitas subjecti in Dicto. Quod si à Modo sit petenda quantitas; alia erit *universalis* ubi aderit *Necessarium* aut *Impossibile*: alia autem *particularis*, cui opponitur *Contingens*, aut *Possibile*.

2 Omnis propositio Modalis est affirmativa, si negatio (*Non*) non præcedat *modum*, aut *verbum modi*; negativa, si negatio præcedat alterutrum.

3 Omnes propositiones modales aliquo modo æquipollent.

4 Omnes propositiones Modales aliquo modo opponuntur.

5 Omnes Modales aliquo modo convertuntur.

Sed non omnes omni modo

De quibus consule Zab. in Tabulis.

Cæterùm ne omnino hæc negligere videamur, placet de *Æquipollentia* & *Oppositione* modalium hanc tabellam postponere.

1	Æquipollentes	1 Necesse est esse.	Æquipollentes	1 Non necesse est esse.
		2 Non possibile est non esse.		2 Possibile est non esse.
		3 Non contingit non esse.		3 Contingit non esse.
		4 Impossibile est non esse.		4 Non impossibile est non esse.

Contrariæ

Equipollentes	1 Necesse est non esse.	Contrariæ	Subalternæ	1 Non necesse est non esse.	Contrariæ
	2 Non possibile est esse.	Contradictoriæ		2 Possibile est esse.	
	3 Non contingit esse.			3 Contingit esse.	
	4 Impossibile est esse.			4 Non impossibile est esse.	

Nota quòd in Contradictoriis negatio *Non*, præponitur, vel *modo*, vel *verbo modali*: sed in contrariè oppositis negatio (*Non*) præponitur *verbo dicti*, quod in typo patet.

CAPUT. 8.

De Argumentatione.

HActenus lustravimus secundam partem Logicæ, quæ mediante propositione complexum mentis conceptum adjuvat; ad tertiam & ultimam festinandum, quæ intervenu Syllogismi *discursus* sive actum mentis *discursivum* regit ac dirigit. De *Argumentatione* igitur in genere nunc dicemus, ubi duo sunt consideranda. 1 Quid sit. 2 Quotuplex sit.

Argumentatio quid.

Argumentatio est Oratio perfecta in quâ ex una propositione vel pluribus concluditur aliquid cum hâc vel simili notâ illationis, ergo, estque duplex. 1 Imperfecta. 2 Perfecta.

Argumentatio quotuplex.

1 *Imperfecta* ad Syllogismum reducitur, estque quadruplex

quadruplex, *Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites*, de quibus cap. 13.

2. *Perfecta*, dicitur *Syllogismus*, de quo consideranda sunt

Quatuor
- 1 Quid sit.
- 2 Quotuplex.
- 3 Ex quibus constat.
- 4 Quæ sint regulæ ipsius.

Syllogismus est Argumentatio in qua ex duabus præmissis rite & secundum regulas dispositis conclusio sequitur necessariò: ut, *Omnis homo est animal, omne rationale est homo, ergo omne rationale est animal.* — *Syllogismus quid.*

Syllogismus est duplex.
- *Categoricus*, in quo omnes propositiones sunt Categoricæ, eisque vel
  - 1 *Communis*, in quo medium est nomen commune: ut, *Omnis sonus auditi potest, omnis vox est sonus, ergo omnis vox auditi potest.*
  - 2 *Expositoria*, in quo medium est nomen singulare: ut, *Socrates est doctus, Socrates est Athenienses, ergo aliquis Athenienses est doctus.*
- *Hypothetica*, in quo aut una vel plures propositiones sunt Hypotheticæ: ut, *Si Socrates est homo, est animal, at Socrates est homo, ergo est animal.*

Quotuplex Syllogismus.

Quid sit Argumentatio, & quotuplex videmus, nunc quo ordine de his dicendum ostendam. Igitur de Argumentatione perfecta, quæ est Syllogismus, tum de imperfecta, & 1 de Categorico Syllogismo, 2 De Hypothetico, & 1 de Categorico communi, tum de expositorio dicemus.

CAPUT. 9.

De Syllogismo Communi.

QUid sit Syllogismus Communis, & quotuplex, suprà dictum est: nunc quomodo fiat dicendum est; Ad Syllogismum conficiendum requiruntur *Materia* & *Forma*.

Syllogismum quomodo formandus.

1 *Materia* Syllogismi est duplex.

1 *Remota*, ex quâ Syllogismus remotè fit, & constat, & sunt *tres termini* in omni propositione, nec plures nec pauciores.

Major, qui est in Majori propositione & conclusione, nunquam in Minori.

Minor, qui est in Minori & conclusione, nunquam in Majori propositione.

Medius, qui est in Majori & Minori, nunquam in conclusione.

2 *Proxima*, ex quâ Syllogismus proximè fit, & sunt *tres propositiones*.

Duæ præmissæ seu propositiones præcedentes, quarum prima dicitur *Major*, altera *Minor* sive *assumptio*.

Conclusio quæ ex duabus præmissis infertur.

2 *Forma* est recta & legitima dispositio materiæ tàm remotæ, quàm

1 *Figuram*, quæ est recta & debita collocatio *Medii termini*. Medius terminus *tribus* modis usitatò collocatur, unde 3ˣ

1 *Subjectum* in *Majori* & *prædicatum* in *Minori*, & tum est in primâ figurâ. [*Sub: Præ: primâ.*]

2 *Prædicatum* in utraque propositione, & tum est in secunda figura. [*bis: præ: secunda.*]

proximæ

proximæ: hæc complectitur | figura oritur, nam medius est vel | 3 Subjectum in utraque, & tum est in tertia figura. [tertia, bis Sub.]

Sub: Præ: prima: bis Præ: secunda: das tertia bis Sub.

2. Modum qui est dispositio propositionum secundum quantitatem & qualitatem, qualitas autem & quantitas cognoscuntur ex istis vocalibus: A. E. I. O. quarum tres sunt in quoquo modo. Modi sunt 19. nempe:

In prima figura sunt 9. Barbara, Celarent, Darii, Ferio, & hi quatuor sunt perfecti.

Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Fricesmorum, & hi quinque sunt imperfecti.

In secunda Figura sunt 4: Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

In tertia Figura sunt 6: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quartam figuram non ideò intactam prætereo, quasi aut inutilis esset, aut à cæteris tribus non distincta; nam & distinctam occupat sedem; cùm medium sit in hac figura Præ: Sub: hoc est prædicatum in majori propositione & subjectum in minori, & necessariam habet illationem, inevidentem vero, si conferatur cum prima figura; tum & naturaliter possit concludere, sive naturam rei substratæ respicias, sive naturalem ordinem & dispositionem terminorum, quæ tum est cum terminus extremus qui priùs profertur in majori, prædicatur in conclusione; præterea facilem habent reductionem ad primam figuram: denique non infrequenter in congressibus adhibetur,

parique si non majori certos evidentiâ cum secunda & tertia figura: licèt ob authoritatis reverentiam parciùs à plerisque inculcatur & tractatur. Sed quoniam nuda tantùm Logices elementa proponere statuimus, nimiúmque prolixa videretur altior disquisitio de re adeò inter eruditos agitatâ, mallemus sequi consueta vestigia, quàm semitâ minùs calcatâ, licet in se magis certâ, viatores tyrunculos distrahere.

Tantum de rectâ medii collatione & de præmissarum dispositione. Nunc de *conclusione*, ubi observandum est modos aliquos concludere dupliciter, nempe *Directè*, vel *Indirectè*.

1 *Directè*, quando *minor* terminus est *subjectum* conclusionis, & *major* terminus est *prædicatum*, & sic in quatuor modis primæ figuræ concluditur, & in tota secunda, & tertia figura.

2 *Indirectè*, quando *major* terminus in conclusione *subjicitur*, & *minor est prædicatum*, & hoc solùm fit in prima figura & modis illis quinque posterioribus. juxta vers.

Omnes directè concludunt, excipe quinque,
Nomina sunt quorum, Bara: Cel: Da: Fa: Fricesmorum.

Ac de Syllogismi communis tàm materiâ quàm formâ, secundum quæ conficiendi sunt Syllogismi, hæc dicta sunto: quæ ut faciliùs intelligantur, observandæ sunt hæ quæ sequuntur regulæ.

1 Ex veris præmissis ritè & secundum regulas dispositis conclusio semper vera sequitur, juxta versiculos.

Regulæ de syllogismo.

Ex falsis falsum, verumque aliquando sequetur:
Ex veris possit nil, nisi vera, sequi.

2 Ex puris negativis aut puris particularibus in præmissis, nihil universale legitimè infertur,

3 Con-

3 Conclusio semper sequitur deteriorem partem; est autem negativa deterior affirmativa, & universali particularis.

4 Ubi quatuor sunt termini, legitimus non est Syllogismus: & omne ambiguum sive æquivocum facit quatuor terminos, unum nempe ex tribus duplicando.

5 Termini debent esse tres, & non plures: & hi debent intermisceri, sic, ut neque totus ullus terminus, neque pars ulla ullius termini, sit in quavis propositione; tunc enim non erit Syllogismus.

6 Omnis Syllogismus Categoricus communis in uno horum novemdecem modorum conficitur qui fit in una ex tribus prædictis figuris.

7 Omnis Syllogismus vel est in prima figura, vel ad primam reducibilis.

CAPUT. 10.

De reductione Syllogismorum.

SYllogismorum alii sunt *perfecti* qui naturaliter & evidenter concludunt, & nullâ egent reductione: tales sunt in quatuor primis modis primæ figuræ: alii autem omnes sunt *imperfecti*, & ad hos quatuor sunt reducendi, ubi duo sunt notanda.

1 Quòd reductio non sit ideo inventa, quoniam modi imperfecti non concludunt ex se necessariò (nam in omni modo conclusio sequitur necessariò ex præmissis) sed ut evidentior fiat sequela conclusionis ex præmissis in modis secundæ vel tertiæ figuræ per reductionem ad modos in primâ.

2 Quòd radix hujus evidentiæ est *dictum de omni, & dictum de nullo*, quæ duo adeo omnibus innotescunt,

Dictum de omni, & dictum de nullo quid.

tescunt, ut à nullis unquam in quæstionem vocantur. *Dictum de omni* est hoc, quicquid affirmatur de prædicato universaliter, affirmatur etiam de omni ejus subjecto, & in hoc fundatur *Barbara* & *Darii*.

Dictum de nullo est, quicquid negatur universaliter de prædicato, illud etiam negatur de omni ejus subjecto, & in hoc fundantur conclusiones in *Celarent* & *Ferio*. Hinc igitur patet cur reliqui ad hos quatuor modos sunt reducendi: quia scilicet adeo naturaliter hi quatuor concludunt, & in his duobus dictis fundantur.

De Reductione igitur pauca sunt dicenda, &

1 Quid sit.
2 Quotuplex sit.
3 Quomodo fiat omnis reductio.

Reductio quid.

1 *Reductio* est declaratio seu manifestatio quomodo conclusio sequatur ex præmissis in modo aliquo imperfecto, per reductionem ad modum perfectum, vel per reductionem ad alteram partem contradictionis. Quid sit videmus, nunc quotuplex dicendum est.

Reductio quotuplex.

2 Duplex est *Reductio*.

1 *Ostensiva*, quæ ostendit conclusionem sequi in modo imperfecto, vel per conversionem, unius aut plurium propositionum: vel per transpositionem præmissarum: vel per utrunque.

2 *Per impossibile*, quando adversarium urgemus incommodo, & (nisi velit concedere conclusionem) cogimus eum concedere huic contradictoriam: vel quod est impossibile, (scilicet) utrumque membrum contradictionis esse falsum.

Quid & quotuplex sit reductio videmus, quomodo fiat nunc dicendum est.

3 Ut

1 A propositione conversa ad propositionem convertentem semper est firmum argumentum juxta regulas conversionis.

2 Quicquid rectè sequitur ex conclusione in prosyllogismo, illud etiam sequitur ab iisdem præmissis in prosyllogismo.

3 Contradictionis altera pars est semper vera.

1 Tres propositiones sequentes.

1 *Capitales*, à quibus quatuor modi perfecti incipiunt & sunt B. C. D. F. & omnes imperfecti incipientes à B. reducuntur ad *Barbara*, à C. ad *Celarent*, à D. ad *Darii*, ab F. ad *Ferio*.

3 Ut apta fiat Reductio, observabet tria,

2 *Consonantes* tum

2 *Medias*, quæ sunt quatuor, S. P. M. C. S notat illam propositionem in qua reperitur, convertendam esse *simpliciter*. P notat propositionem convertendam esse *per accidens*. M notat præmissas esse *Mutandas*, scilicet, majorem in locum minoris, & contrà. C notat Syllogismum convertendum esse *per impossibile*, juxta versiculos.

Simpliciter

Simpliciter *verti vult* S: P *verò per* Acci.

M *vult transponi*, C *per Impossibile duci.*

3 Regulam generalem, scilicet, quòd omnes modi imperfecti reducuntur reductione ostensivâ, exceptis *Baroco* & *Bocardo* quæ reducuntur per impossibile: quæ ut meliùs intelligamus

notanda sunt hæc duo.

1 Versiculus hic vulgaris, *Servat majorem Baroco: Bocardo minorem.*

2 Si *Baroco* reducatur, contradictoria conclusioni erit minor propositio: Si *Bocardo* reducatur, tum contradictoria conclusioni erit major propositio.

Hactenus de Reductione.

CAPUT. II.

De Syllogismo Rhetorico.

Syllogismus Rhetoricus quid.

DIximus hæc de Syllogismo *dialectico*. Huic affinis est *Rhetoricus*, de quo pauca dicenda: differt autem nihil à dialectio Syllogismo, nisi quòd ille fusiùs, hic strictiùs, conclusionem probat: hic ex duabus præmissis, ille ex pluribus nonnunquam.

In

In Syllogismo Rhetorico, sicut Dialectico sunt tres partes.

1 *Propositio*, seu *major*, quæ rarò est nuda & sola, sed confirmari solet, vel
- Ratione aliqua, seu causa.
- Similitudine.
- Exemplo uno vel pluribus.
- Testimonio uno vel pluribus.

2 *Assumptio*, seu *minor*, quæ etiam confirmari solet, vel
- Similitudine.
- Exemplo uno vel pluribus.
- Testimonio uno vel pluribus.

Ex quibus partibus constat.

3 *Conclusio*, quæ etiam aliquo modo est illustranda.

In Syllogismo Rhetorico non semper exprimuntur hæ partes omnes, sed *desideratur* nonnunquam *propositio*, vel illius probatio: aut quum probatur, non ex his omnibus probatur, sed uno aliquo proponitur: etiam *Assumptio*, non omnibus modis, sed uno fortè, vel duobus vel pluribus probatur: *Conclusio* sæpè etiam primo loco proponitur, tum *Assumptio*, & tertio loco *propositio*: quæ omnia arbitrio oratoris, & causæ quam tractat, relinquenda sunt.

CAPUT. 23.

De Syllogismo Expositorio.

DIxi hactenus de Syllogismo Categorico Communi. Nunc dicendum est de Syllogismo Categorico *Expositorio*: qui est, quando medius terminus est nomen proprium, seu communis cum nota singulari,

Syllogismus expositorius quid.

lari, hic, hæc, hoc: ut, *hic homo est Athenienſis, & hic homo eſt doctus, ergò aliquis Athenienſis eſt doctus.*

Syllogiſmi Expoſitorii non ſunt varii modi, nec variæ figuræ, ſed frequenter ſunt in tertia figura, ita ut medium bis ſubliciatur: ut, *hæc caſtigatio Catilinæ eſt ſupplicium, & hæc caſtigatio Catilinæ eſt utilis, ergò aliquod ſupplicium eſt utile.* Et hæc de Syllogiſmo Expoſitorio: plura adjicere non eſt neceſſe.

CAP. XIII.

De Syllogiſmo Hypothetico.

DIxi hactenus de Syllogiſmo tam communi Dialectico, Rhetorico quàm Expoſitorio: venio ad *Hypotheticum*, de quo pauca dicam, quia omnia ex tractatione priorum pendent.

Quotuplex Syllogiſmus Hypotheticus eſt triplex,

1 *Conditionalis*, eſt quando una propoſitio vel plures ſunt conditionales: ut, *ſi homo eſt animal eſt corpus, at homo eſt animal ergò eſt corpus*; eſtque vel affirmativus vel negativus.

2 *Disjunctivus*, eſt quando una propoſitio eſt disjunctiva: ut, *vel eſt dies vel eſt nox, at non eſt nox, ergò eſt dies.*

3 *Copulativus*, & hic rarò eſt in uſu: ut, *Omne rationale eſt riſibile & flebile, omnis homo eſt rationalis, ergò omnis homo eſt riſibilis & flebilis.*

Plura quæ de hoc Syllogiſmo dicenda ſunt, ex tractatione Syllogiſmi Categorici ſunt petenda, quod ſi hujus Syllogiſmi Hypothetici quærantur alii modi & figuræ, rectè & aptè inveniri poſſunt;

ſed

sed quis ratio & sensus docet, quæ ratio sequitur, quæ non; ideò non est necesse illos aut modos aut figuras ejus tradere.

CAP. 14.

De Syllogismo Imperfecto.

DIxi hactenus de argumentatione perfecta, quæ est Syllogismus, nunc dicendum est de imperfecta, quæ est Syllogismus imperfectus.

Imperfectus Syllogismus est, qui deficit in præmissarum numero, vel dispositione, vel (ab iisdem) illatione: éstque quadruplex, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites. *Imperfectus Syllogismus quid.*

1 *Enthymema*, est Syllogismus Imperfectus ex altera tantùm præmissarum conclusionem inferens: *Enthymema quid.* *Si homo est animal, ergò est corpus animatum:*

Enthymematis regulæ.

In quo hæc tria sunt observanda,

1 In omni Enthymemate duæ sunt propositiones, quarum prima dicitur *Antecedens*, altera dicitur *Consequens*.

2 Si prædicatum sit in Conclusione & Antecedente, tum deest minor Propositio, quam si apponas, erit perfectus Syllogismus. Si sujectum sit in Conclusione & Antecedente, tum deest Major propositio. Dicitur enim *Enthymema*, quasi ἐν τῷ θυμῷ quòd mente tantùm concipitur brevitatis causa altera propositio, ut satis manifesta.

3 Enthymema est perfectus Syllogismus quoad *firmitatem* probationis: Imperfectus quoad *evidentiam*, quia altera præmissarum deest & subintelligitur.

2 *Inductio*

Inductio quid.

2 *Inductio* est imperfectus Syllogismus per quem ex omnibus singularibus inductis colligimus universalem conclusionem: ut, *hic homo est animal, & ille homo est animal, & sic de cæteris: ergo omnis homo est animal.*

Inductionis regulæ.

In *Inductione* hæc *quatuor* sunt observanda.

1 Per singularia non tantùm intelligimus individua, sed & minùs universalia, & species respectu generis: ut & partes omnes integrales respectu totius.

2 Nisi plena sit omnium singularium enumeratio, falsa erit conclusio.

3 Inductio est accommodatissimum instrumentum ad artes inveniendas.

4 Inductio reducitur ad Hypothetricum Syllogismum: ut, *Si Petrus sit rationalis, si Socrates, &c. tum omnis homo est rationalis; at Petrus & Socrates, &c. ergo.*

Exemplum quid.

3 *Exemplum*, est Syllogismus imperfectus in quo ex uno vel pluribus singularibus colligimus aliud particulare: ut, *Alexander* rebus plerunque fœliciter gestis, nil nisi orbis Monarchiam meditatus est, ergo & Rex Hyspaniarum hoc tentare solet.

Exempli regulæ.

In *Exemplo* hæc *quatuor* sunt observanda.

1 Exemplum est inchoata Inductio.

2 In omni exemplo sunt quatuor termini: ideoque ad Syllogismum perfectum non reducitur immediatè.

3 Exemplum minimæ virtutis est ad *probandum*, maximæ verò ad *persuadendum*, ideoque est Syllogismus Oratorius.

4 Exemplum omne, in illatione nititur hac generali regulâ. *Similibus similia convenire.*

4 Sorites

4 *Sorites* est Syllogismus imperfectus, in quo ex quatuor vel pluribus conclusionem colligimus, in quâ primum Subjectum cum ultimo prædicato conjungitur: ut, *Socrates est homo, homo est animal, animal est vivens, vivens est corpus, corpus est substantia, substantia est Ens, ergo Socrates est Ens.* *Sorites quid.*

Ubi hæc tria sunt notanda.

1 Sorites est tantum cumulus Syllogismorum, brevitatis studio invertum conjectorum, unde nomen habet. *Sorites regulæ.*

2 Sorites resolvi debet in Syllogismos primæ figuræ.

3 In serie rerum & causarum vera erit Sorites si gradus non mutetur; & Series non misceantur: quod ex prima regula Antepraedicamentali discendum est.

Hæc de Syllogismo & ejus Speciebus degustâsse sit erit.

CAPVT. 15.

De Legibus disputandi. *Appendix.*

PRoposui totam propositionis cognitionem; tam ut in se consideratur, quàm ut cum aliâ conjungatur ad efficiendam Argumentationem. Nunc de Legibus disputandi pauca adjiciam, quasi epilogi loco.

Disputatio quid sit, hîc cognoscas: *Disputatio*, est de re aliqua controversâ, pugna argumentosa, aut veritatis ejus inveniendi causâ, aut ingenii exercendi, aut retundendi studio instituta. *Disputatio quid.*

Disputantes sunt duo

1 *Opponens*,

1 Oppo-nens, cujus munus est,

1 Diligenter perpendere quid expugnaturus sit, nec aliud probare quàm quod ab adversario negatur.

2 Argumenta cautè & directè sine hæsitantia proponere.

3 Negatam propositionem diligenter advertere, eámque confirmare,

4 Solutionem ab adversario datam, 1. repetere verbis ipsius, tum aut eam accipere ut sanam, aut refellere ut infirmam.

5 Cavere ne respondens ad aliud respondeat, quàm quod ab ipso proponitur.

2 Respondens, cujus munus est,

1 Præcipuè cavere ne opponens quicquam aliud probet, nisi quod ab ipso negatur, idque inferat ipsius verbis.

2 Propositam rationem ab Opponente sobriè & distinctè repetere.

3 Aptè solutionem aptare, cùm sit opus, idque *quatuor* modis,

1 Concedendo quæ vera sunt, & sic conclusio concedi potest, quum sit vera.

2 Negando, quæ falsa sunt, & hoc solùm in præmissis nunquam in conclusione.

3 Distinguendo, quę sunt ambigua: idque vel in tota propositione, vel parte aliqua & termino.

4 Applicando illam distinctionem aptè.

Finis Argumentationis in genere quatenus secundùm formam, (id est) *modum & figuram consideratur.*

LIB. 4.

LIBER QUARTUS.

CAPUT. V.

De prima Definitione Demonstrationis.

EGimus hucusque de Syllogismo in *Genere*, prout (absque illâ vel materiæ vel finis consideratione) in terminis solùm disponendis secundum modos & figuras versatur, quo in sensu apud *Arist.* satis prolixè tractatur *Prior. Analyt. lib.* 1. & 2. Restat jam ut de Syllogismo in *Specie* aliquid adjiciamus, quatenus ad certam materiam restringitur, & in hunc vel illum scopum dirigitur. Cùm itaque in duplici materiâ constituatur, hâc *necessariâ* illâ verò *probabili*; & ad duos fines collimet, *Opinionem*, & *Scientiam*: hinc duplex in *Specie* oritur Syllogismus: quorum alter dicitur *Demonstrativus*, alter verò *Dialecticus*, hic (à materia) *Contingens*, ille *Necessarius*; hic (à Fine) *Opinabilis*, (cui persuasibilis seu Rhetoricus Syllogismus refertur) ille *Scientificus* nuncupatus.

Syllogismo *Sophistico* seu fallaci, nomen Syllogismi (nili sano sensu) non tribuimus; cujus finis est *Deceptio*; cujus materia, seu media, *Specie tantùm* sunt *probabilia*, unde nomen (*Apparentis*) obtinet: quem in scopulum ne quispiam fortè impingat, (postquam ad propositos fines iter verum monstratum sit) Scyllam hanc incautis per capita quædam notabimus. De Syllogismo itaque *Demonstrativo* priùs est agendum, mox de cæteris ordine.

In Demonstratione hæc tria sunt tradenda, { 1. Quid sit. 2. Quotuplex. 3. Quæ sint ejus Affectiones.

Ut ostendamus quid sit, sciendum est, quod duplex est demonstrationis *Definitio*.

Demonstratio quid.

Altera petita à Demonstrationis

{ 1 *Fine*, unde sic describitur. *Demonstratio est Syllogismus scientificus.*

2 *Materiâ*, seu potius conditionibus præmissarum, unde sic definitur. *Demonstratio est Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionibus.*

De utrâque ordine dicturi, prioris explicationem prius aggredimur.

Genus] est *Syllogismus* (non imperfectus quispiam aut mutilus) sed specialiter sic dictus, perfectus, modo figurâque constitutus.

Differentia] est *Scientificus*, per quam ab aliis Syllogismis in certâ materia constitutis distinguitur. Namque *Topici* finis est *Opinio*, vel fides oratoria; *Sophistici*, scopus est *deceptio*. Ad hujus itaque plenorem evidentiam, notandum est duplicem esse Demonstrationis finem.

Duplex finis Demonstrationis.

Alterum { 1 *Internum* & Operis, quem in hoc ipso tractatu consequi poterimus: Atque est, *legitimam Demonstrationem conficere.*

2 *Externum* & Operantis; atque est *scientia*; quam facilius comparandam, præstantissimum hoc instrumentum, sive demonstrandis regula, erat excogitata.

Finis internus, quo pacto à nobis sit assequendus (scil. *Demonstrationem componere*) subsequens tractatus docebit. Ad externum verò adipiscendum, duo sunt notanda. 1 Quid sit. 2 Ex quibus partibus seu terminis simplicibus constat.

Scientia quid.

Definitur *Scientia*, notitia certa conclusionum, quibus propter Demonstrationem assentimus. Vel sic: *Scientia* est cognitio alicujus propriæ passionis, inhærentis suo proprio subjecto, per propria & immediata principia. Vel sic aliàs in concreto: *Scire est*

causam cognoscere propter quam res est, illius rei causam esse, nec aliter se habere posse: cujus ultimæ definitionis partes sic explicantur.

Genus] est *cognitio*, non quævis tamen sensitiva notitia, sed *intellectiva*; neque hæc indiscriminatim universalis, sed *ad rectum objectum definita*; non terminorum simplicium, sed *complexorum*; non principii, sed *conclusionis*.

Differentia] duas habet partes, quarum altera refertur ad *Objectum* sive rem cognitam, his verbis, *illius rei causam esse*, ubi hæc tria notemus. 1 Quod scire est *per causam*; unde per effectum non habetur perfecta scientia. 2 *Per causam propter quam*: unde solum efficiens & finis sunt causæ demonstrantes effectum, & Demonstrationis medium in ordine ad affectionem. 3 *Per causam propter quam illius*: unde non quævis efficiens causa remota, vel finalis, vel efficiens pariter scientiam; sed propria atque immediata *illius*. Altera pars [differentiæ] refertur ad *Subjectum*, sive animum scientis; ut *aliter se habere non possit*; nam si de rebus necessariis fluctuet animus, non jam *scientia est, sed opinio*.

CAPUT. 2.

De præcognitionibus, quæstionibus, & tribus præcognitis.

DEfinitione sic explicata, partes scientiæ succedunt explicandæ, quas in omni scientia perfecta fas est invenire, & sunt *tria præcognita*, quæ per tres terminos simplices exprimuntur. 1 *Subjectum*, 2 *Affectio*, 3 *Principium*, de quibus post præcognitiones & quæstiones singillatim dicemus.

De præcognitione hæc tria sunt tradenda. { 1 Quid sit. 2 Quotuplex. 3 Quæ regulæ.

Præcognitio quid. *Præcognitio* est antecedens quædam acquisitiva notitia, quæ ad exactiorem cognitionem ordinabilis, viam præparat, quâ tandem ad ipsos scientiarum apices gradatim ascendamus.

Triplex duplex, { 1 *Sensitiva*, quam per sensus acquirimus, estque hæc notitia, radix, fons, & simpliciter primum omnis acquisitæ cognitionis intellectivæ principium; quæ aliàs *præparans* nuncupatur.

2 *Intellectiva*, quæ duplex est, vel enim antecedit { 1 *Conclusionem immediatè*; & tum dicitur præcognitio *complexa*; sive agens, estque tùm Axiomatum, tùm præmissarum perceptio.

2 *Totam Demonstrationem*; & dicitur *simplex* sive *dirigens*; quæ tres terminos simplices ex quibus Demonstratio constat æqualiter respiciat. Atque hæc sola præcognitio ad hunc locum spectat.

Quotuplex. *Præcognitio hæc simplex* est duplex in genere. { 1 *Quid sit* quæ in se duo includit { 1 *Nominis significationem*, & dicitur, *quid Nominis*. 2 *Naturæ manifestationem*, & tum dicitur *quid Rei*.

2 *Quòd sit*, quæ in se includit quod { 1 Quæsitum *est* vel existat re vera *extra intellectum*; & hæc respondet quæstioni *An sit?* 2 Quæsitum est *verum prædicatum* in subjecto.

Quæstio quotuplex sit. *Quæstio* est duplex, alia { 1 *Simplex*, quæ æqualiter convenit accidentibus & substantiis, & hæc vel { 1 De essentia vel existentia interrogat, *An sit?* 2 De natura quæritur, *Quid sit*.

2 *Complexa*,

2 *Complexa*, quæ præsertim convenit accidentibus, & vel quærit
- 1 *Utrum* prædicatum subjecto *insit*, ut *utrum homo est risibilis?*
- 2 *Cur* prædicatum *insit* subjecto: ut, *cur homo est risibilis?*

Quarum quæstionum ordo strictim semper observandus, qui à naturâ & serie præcognitionum profluit, & talis est ut 1 quæratur An sit. 2 quid sit. 3 utrum insit subjecto. 4 & ultimò, cur inhæreat subjecto. Præcognoscimus enim 1 quid sit nomen. 2 quod res sit existens 3 quid sit natura ejus. 4 & ultimò, quòd insit subjecto, *Ordo quæstionum & præcognitionum.*

His definitis, de utrisque conjunctim hæ leges sunt observandæ. *Regulæ de præcognitionibus & quæstionibus.*

1. Quid nominis, est semper præcognitio nunquam Quæstio.

2. Cur sit, est semper Quæstio, nunquam præcognitio.

3. An sit, Quid rei, & Quòd sit, sunt ex parte præcedentium, quæstiones; sed respectu subsequentium, Præcognitiones.

Post præcognitiones & quæstiones proximè agendum est de ipsis *præcognitis*: quæ (quantum ad præsens institutum) sunt in duplici genere. Namque

Alia sunt *Præcognita.*
- 1 *Simplicia*, quæ *ante ingressum* Demonstrationis seorsim præcognoscuntur, qualia sunt tantum hæc tria suprà proposita & mox tradenda. 1 *Subjectum*, 2 *Passio*, 3 *Principium*.
- 2 *Complexa*, quæ in Demonstrationis *progressu*, sive in ipso actu Demonstrandi, immediatè præcognoscuntur conclusionis; & sunt duæ *præmissæ*, de quibus cap. 4. fusiùs dicemus.

De præcognitis simplicibus hæc sunt inquirenda. 1 quid sunt, 2 quotuplicia, 3 quæ sunt conditiones singulorum, & primum de *subjecto* dicamus, quod sic definitur.

Quid sit Subjectum.

Subjectum est terminus simplex in demonstratione, de quo accidens per causam proximam demonstratur: quod aliàs dicitur, *genus, materia, minus extremum*, estque hoc

Quotuplex sit Subjectum.

Subjectum duplex.

1 *Totale*, quod toti scientiæ & omnibus quæ in eâ sunt substernitur, quale est, *corpus naturale in physiologia*: in *Arithmetica numerus*: ens *in Metaphysica*.

2 *Partiale*, quod cum sit tantum species, seu pars generalis subjecti, totiscientiæ non adæquatur, sed specialioribus attributis, quale adhibere solemus ad demonstrandum hanc vel illam affectionem in specie. Quorum utrumque rursum est vel *materiale*, vel *formale*.

Materiale, (quod *res considerata* vocatur) & hoc in diversis disciplinis & scientiis locum habet, *v. g. Homo* tractatur in *Physicis, Anatomicis, Ethicis, Medicinâ, Chirurgicis & c.*

Formale, quod præter rem consideratam includit *modum considerandi*, secundum quem res considerata determinatur ad hanc vel illam scientiam, *v. g. homo* in *physiologia* est ut subjectum particulare *informationis*, seu *demonstrationis*: in *Anatomica* ut subjectum *operationis* seu inspectionis: in *Ethic. Medicin. Chirurg* ut *finis cui*, sive subjectum *informationis*, quatenus *sanitate* donandus: in illis *moralis*: in his *naturalis*; sed diversis mediis. Atque de hoc subjecto dicitur *unitas scientiæ pendet ab unitate subjecti*: nempe

nempe unitas scientiæ *totalis* ab unitate *subjecti totalis*. partialis à *partiali* pendet.

De subjecto formali, sive sit totale seu partiale, *leges istæ* sunt tenendæ.

1 Ut sit ens per se extra intellectum, hoc enim requiritur, ut possit substare accidentibus demonstratis, sive sit substantia: ut, scientiâ *physicâ*: sive sit de genere accidentium ut in *mathematicis*. *Leges subjecti.*

2 Ut habeat propria principia, & proprias affectiones.

3 Ut sit adæquatum scientiæ cui substernitur, totale totali, particulare particulari scientiæ: ita ut alibi nusquam reperiatur.

4 Ut ante ingressum demonstrationis præcognoscatur, quid sit & quod sit.

Tantum de subjecto; sequitur suo ordine *Accidens* demonstrabile, quod (quia præsertim respiciemus demonstrationem potissimam) *propria passio* dicetur, atque sic definitur.

Passio est plerumque accidens proprium quod de subjecto demonstratur per proprium principium, quæ aliàs *accidens, affectio, affectus, majus extremum*, & *quæsitum* simpliciter nuncupatur. *Passio quid*

Quotuplex sit passio distinctè satis intelligatur cum demonstrationis species inspexeris. cap. 6.

Passionis *Conditiones* sunt tres.

1 Ut præcognoscatur quid nomen significet. *Leges passionis.*

2 Ut consideretur quatenus inhæreat, nam, cum subjecti vicem obtinet, dicitur quodammodo *Substantia Arist. lib. 1. post. cap. 27.*

3 Ut definiatur per subjectum proprium, genus, & causam efficientem.

Affectionem subsequitur *Principium*, quod sic describatur.

Principium simplex quid.

Principium est per quod affectio demonstratur, de suo subiecto: quod intelligendum est de termino simplici, qui est tertium præcognitum.

Quotuplex sit constabit. cap. 6.

Principii simplicis leges.

Leges autem principii simplicis sunt quatuor.

1 Ut sit terminus simplex toti demonstrationi *præcognitus*: nam principia complexa non sunt præcognita primæ toti demonstrationi, & *antegressum operis*, sed præcognoscantur *tantùm conclusioni*, idque immediatè & ipso demonstrandi actu & *progressu*.

2 Ut præcognoscatur quid significet, & aliquando quòd sit.

3 Ut sit principium tùm *essendi*, tùm etiam *cognoscendi*.

4 Ut in eâdem scientia possit à posteriori demonstrari, seu quòd sit; à priori verò nunquam, sive cur sit.

Atque hæc de tribus præcognitis dixisse sat erit.

CAPUT. 3.

Absolutis propriis principiis sequuntur complexa, quæ cum dupliciter considerentur. 1 Seorsim & per se. 2 Conjunctim cum præmissis, in hoc cap. seorsim considerentur, coniunctim in sequenti.

De principio complexo *per se* considerato, hæc tria sunt tradenda. 1 Quid sit. 2 Quotuplex, seu quot sunt *species*. 3 Quæ singulorum leges.

Prin-

Principium eſt propoſitio immediata: *Ariſt. lib. 1. poſt. cap. 2.* quam definitionem ſic explicamus. *principium complexum*

Genus eſt *propoſitio*, (non Dialectica vel contingens quæ contingenter vera eſt vel falſa, cùm in opinione ſit adhuc pendula) ſed *Demonſtrativa*, ſeu neceſſaria, quæ determinatè & neceſſariò vera eſt. Unde liquet quodnam Demonſtrationis principium ſit definitum, ſcil. non ſimplex illud (de quo ſuprà) ſed *complexum*. *quid.*

Differentia eſt, quòd ſit propoſitio immediata, quam inter præmiſſarum conditiones capite ſeq. perpendimus.

principium autem hoc *complexum* eſt in duplici differentia, quarum aliud eſt

1 *Axioma*, (quod aliàs nuncupatur *communis principium*, *Dignitas*, & *Maxima*) eſt tale principium, quod vel eſt nobis naturale, vel tam facili negotio furtim & paulatim inſenſibiliter acquiritur, ut antequam ad diſcendum accedamus, neceſſe eſt hoc cognitum habeamus. *Principium quotuplex, Axioma quid.*

2 *Theſis*, eſt principium proprium unius ſcientiæ, quod eſt per ſe fide dignum, diſcenti tamen adhuc penitus inauditum, abſque omni probatione, ab eodem primâ recitatione percipitur.

Axiomatum rurſus alia ſunt,

1 *Suprema*, & communiſſima quæ cæteras omnes ſcientias tranſcendunt, (quorum uſus non eſt exiguus in Demonſtratione ducente ad impoſſibile) qualia ſunt hæc duo *Metaphyſica. Idem non poteſt eſſe, & non eſſe. De omni re vera eſt affirmatio vel negatio.*

2 *Communia*, non ſimpliciter omnibus, ſed pluribus, vel ſaltem duabus ſcientiis communicata, quale eſt illud *Mathe-*

Mathematicum: ab æqualibus; æqualia si demas, reliqua erunt æqualia: quod, si determinetur per *magnitudinem*, fit *Geometricum*: si per *numerum*, fit principium *Arithmeticum*.

Thesis sumitur tripliciter,

1 *Vulgariter*, pro quavis propositione vel sententiâ, vel themate.

2 *Strictiùs*, pro sententia cujusdam nobilis philosophi, præter vulgarem & receptam opinionem. *Ut Arist. lib. 1. Top. cap. 11.*

3 *Strictissimè*, pro principio demonstrativo, quod non suprà definivimus: quæ sensu est *hypothesis* vel *definitio*.

Hypothesis & postulatum quid.

1 *Hypothesis*, cùm docens ponit aliquam rem vel non esse absq; probatione; quod si discenti videatur probabile, dicitur ad illum *suppositio*: sed si vel nondum assentiatur vel contrà opinetur, *postulatum* appellatur.

Definitio quid.

Thesis est duplex,

2 *Definitio*, cùm docens determinatè quid sit ostendat, & ponat; estq; vel definitio *subjecti* & *affectionis* simul, vel *affectionis* seorsim: & ea vel causalis, & tunc est major propositio: vel aggregata ex majore & minore propositione, estq; demonstrationis *effectus*, non principiũ.

De supradictis principiis *regulæ* sunt observandæ.

Leges de principiis complexis.

1 Principia communia in sua *latitudine* à demonstratione ostensivâ simpliciter excludunur.

2 Principia communia ad subjectum speciale *arctata* non expressè & formaliter, sed *virtualiter tantùm* & extrinsecus (ut limites quos transilire non licet) ingrediuntur demonstrationem ostensivam.

3 Principia communissima *in ambitu* suo, *actu*, & *formaliter*

formaliter, insunt in demonstratione quæ ducit ad impossibile.

4 Suppositio subjecti non actu ingreditur demonstrationem jam formatam, sed semper præcognoscitur eidem mox formandæ.

5 Definitio affectionis tum causalis, tum aggregata, *actu* exprimitur in demonstratione ostensiva.

6 Definitio non nisi conjunctim cum definito, habitóque respectu ad conclusionem, est species principii quod suprà definitur (immediata propositio.)

CAP. 4.

De secunda definitione demonstrationis.

QUid sit principium complexum per se consideratum, & quotuplex & quæ illius leges jam dictum est; sed quoniam ex his unà cum affectione conjunctis duæ resultant *præmissæ* demonstrationis, quæ ipsæ etiam principia dicuntur: ideò de illarum conditionibus in 2 definitione paucula sunt dicenda. 1 itaque definitionem proponamus, 2 ejus partes perpendamus.

Demonstratio est Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis.

Secunda definitio demonstrationis à materia desumitur, seu potius à conditionibus præmissarum.

De genere quod est *syllogismus*, suprà egimus. Differentiarum apices totidem sunt præmissarum conditiones, de quibus sigillatim prout proponuntur, dicendum: ubi cognoscendum est, has quinque conditiones in duplici discrimine versari. Namque aliæ competunt principaliter

Principiis { 1 *Inter se* consideratis, scil. ut sint { 1 Vera. 2 Prima & immediata.

2 Ad

2 Ad *conclusionem* relatis: scil. ut sint
- 1 Priora.
- 2 Notiora.
- 3 Causę conclusionis.

Quæ omnes conditiones specialim sic explicantur.

1 *Veritas principiorum.*

1. Est, ut principia sint *vera*, quæ scientiam pariunt. Ubi notandum quòd veritas principiorum Demonstrativorum petenda est partim à Demonstrationis *Materiâ*, partim à *forma*.

Materia vel
- 1 *Significata*, seu rei ipsa, atque dicitur aliàs, *veritas rei, sive objecti*, estque duplex
  - 1 *Incomplexa*, seu essentiæ vel existentiæ; quando res revera est extra intellectum.
  - 2 *Complexa*, seu dependentiæ, quando res inter se necessariam habent atque arctam cohærendam utcunque à nobis non observatam.
- 2 *Significantia*, seu termino, quando termini rebus significatis aptè congruunt; simplices simplicibus, complexi rebus complexis.

Forma, quæ consistit in debita dispositione terminorum in Propositionibus secundùm modos & figuras Syllogismi in genere: Atque hæc dicitur, *veritas illationis*, seu formæ, cùm altera sit *veritas rei*, seu materiæ substratæ. Utroque modo præmissæ in Demonstratione sunt veræ.

2 *Primitas seu immediatio.*

Conditio est, ut principia sint *prima* & *immediata*; quæ duo non re discrepant, sed tantùm ratione, quorum posterius additur, ad restrictionem & explicationem prioris, quod ex hac distinctione patebit.

Primum

Primum dicitur duobus modis,

1 *Sursum ascendendo*, quomodo illud dicitur primum, quo non datur aliud prius: ut, *Deus est*, *Substantia est*.

2 *Deorsum descendendo*, quomodo illud est primum, quod proximè attingit effectum, sive de quo effectus primò prædicatur, quod planè idem est, ac si diceretur immediatum. De quo hæc tria sunt tradenda: 1 quid sit: 2 quemplex: 3 quomodo in Demonstratione potissima singulæ propositiones sint immediatæ. *Primum duplex.*

Immediatum est inter quod & prædicatum non datur medium: quod ut fiat manifestum, notandum quòd duplex est *Immediatum*, alia est

1 *Subjecti*, quando inter prædicatum & subjectum nullum intercedit immediatius subjectum: ut, *homo est rationalis*, *homo est risibilis*.

2 *Causæ*, quando inter prædicatum & subjectum causa immediatior non intervenit: ut, *rationale est risibile*, *homo est rationalis*. *Immediatum quid.* *Immediatum duplex.*

In Demonstratione potissimâ ubi medius terminus est causa interna subjecti, (scil. *materia* vel *forma*) & *efficiens* effectus per emanationem, major propositio est immediata ratione causæ, sed non subjecti: ut, *rationale est risibile*. Conclusio est immediata ratione subjecti, sed non causæ: ut, *homo est risibilis*. Minor utroque modo est immediata, tam immediatione causæ, quàm subjecti: ut *homo est risibilis*. *Quæ propositiones sunt immediatæ.*

In Demonstratione potissimâ, ubi medius terminus non est causa interna subjecti, licèt tam major quàm conclusio sit immediata, minor tamen non est imme-

immediata ratione causæ. Hoc accidit in omni demonstratione potissima à causa externa; tum etiam ubi ab una affectione prædemonstratâ procedimus ad demonstrationem alterius; quales sunt propemodum omnes Mathemat. demonstrationes; ut refert *Zab. de medio demonstrat. c. 17.* quali etiam in physicis utitur Philosophus *lib. 2. de cælo, text. 59. omne globosum in sphera mobili recipiens lumen ab alio lumine paulatim accrescit; Luna sic se habet, ergò luna lumine paulatim accrescit.* De his vide plura in fine cap. 5.

Ob. Si quis contenderet has non esse potissimas, quia potior est & præstantior illa Demonstratio, ubi ómnes propositiones sunt immediatæ. *Sol. 1.* 1 Dico quòd hæ demonstrationes sunt potissimæ quantum ad *effectum* demonstrationis, qui est *scientiam parere*, neque minùs per mediatam minorem, quàm si esset immediata, hunc effectum assequimur; dummodò major sit indemonstrabilis; pariter ut clavis ferrea atquè præstans est, atque deaurata quantum ad usum clavis, si officium suum dexterè absolvat, (licèt materia ejus minoris pretii habeatur.) *Sol. 2.* 2 Dico quòd in Demonstratione unius effectûs per alterum prædemonstratum, minor est virtualiter immediata; quia licèt medium sit effectus, vim tamen & virtutem mutuatur à causa prædemonstrante immediatâ.

Hactenus egimus de *absolutis* conditionibus, quæ principiis conveniunt respectu *Demonstrationis*, mox *efformandæ*; à quibus, tanquam à fonte, dimanat propositionum necessitas, de qua proximo capite.

Sequuntur conditiones *respectivæ*, quæ principiis conveniunt ratione *conclusionis* mox *inferendæ*, & Demonstrationis propè efformatæ.

1 Est

Est, ut principia seu præmissæ sint *notiores conclusione*: ad cujus evidentiam observanda est hæc distinctio. 3 *Notiora.*

Notius dicitur aliquid duplici modo,

1 *Naturâ*, quòd do secundùm naturam est magis noscibile, sive cujus notitia non dependet ab alio, vel saltem non à tam multis medijs, quàm alterius cognitio, quale est *magis universale* respectu minùs universalis, sive singularis.

2 *Nobis*, quod contingit vel in *cognitione nostrâ*

1 *Distinctâ, & habituali*, atque sic *universale*, quàm singulare, *causæ*, quàm effectus, sunt notiores, quia horum perfecta cognitio ab illis pendet.

2 *Confusâ, & originali*, & sic *singularia* prius cognoscuntur à nobis imperfectè per adjuncta & accidentia, quàm universalia: & effectus quàm causæ.

Præmissæ igitur sunt notiores conclusione tum naturâ, tum etiam nobis, si perfectam habitualémq; cognitionem rei scias.

2 Conditio est, ut principia seu præmissæ sint *priores conclusione*, quæ ut rectiùs cognoscatur, duo sunt notanda. 1 Quomodo principia absque tautologia dici possunt *prima & priora*. 2 Quot modis sunt priora. 4 *Priora.*

1 Principium dicitur

1 *Primum* ratione propinquitatis ad effectum, & in relatione ad alia principia remotiora.

2 *Prius* quatenus cum conclusione tantùm

tantùm comparatur, in ordine ad nostram cognitionem.

2 Principia, seu præmissæ sunt *priores* duplici modo

- 1 *Rei veritate* & naturâ, quia in se comprehendunt essendi causas.
- 2 *Nostrâ cognitione*, non illâ tamen iamiam inchoatâ (namque sic effectus & conclusiones priùs cognoscuntur) sed *habituatâ* cognitione, & habitu digniore, scilicet *Intelligentiâ*.

5 *Causæ conclusionis.*

3 Et ultima conditio est, ut principia seu præmissæ sint *causæ conclusionis*, ad cujus explicationem observandum est, quòd principia sunt.

Causę conclusionis triplici respectu,

- 1 *Inferentiæ* seu illationis, atq; hoc habet Demonstratio cum cæteris Syllogismis commune.
- 2 *Essentiæ*, in his enim sunt termini, qui affectioni definitionem tribuunt.
- 3 *Cognitionis*, cùm secundùm naturæ methodum præmissæ quàm conclusio, priùs à nobis habitualiter cognoscuntur.

CAPUT. 5.

De triplici gradu Necessitatis.

EXplicatis conditionibus præmissarum, quæ *exprimuntur* in secunda definitione Demonstrationis, iam *implicitam* conditionem aggredior, cuius usus est præcipuus, cùm passim occurrat in hoc tractatu, & à primis duabus conditionibus necessariò infertur. Eáque est propositionum *Necessitas*: Nam cùm

cum *veritas*, tantaque *immedietas* in pluribus requiritur; extra dubium est ab hâc indissolubili connectione terminorum aliquam inter se oriri posse necessitatem. De hâc igitur hæc tria ostendamus. 1 Quid sit. 2 Quotuplex. Quæ requiratur necessitas ad singulas propositiones Demonstrationis potissimæ.

Necessitas est nexus necessarius ac indissolubilis, subiecti cum prædicato; ita ut infallibilis sit dependentia inter hos duos terminos; & plerunque causalitas, *Necessitas quid.*

Hujus necessitatis sunt *tres gradus*, quorum subsequens semper includit antecedentem, ita ut in ultimo gradu summa necessitas inveniatur. 1 *De omni*, κατὰ παντὸς. 2 *καθ' αὑτο, per se.* 3 *τὸ καθόλου πρῶτον quatenus ipsum* sive *universale primum.* De quibus figillatim.

1 Propositio *de omni* est cum prædicatum convenit subiecto universali, ac perpetuò; quod ut intelligatur, observanda sunt hæc duo: 1 quòd modus (de Omni) afficit *subiectum*, non autem prædicatum. *De Omni.*

2 Quòd propositio de omni est duplex.

1 *Prioristica* (de *quâ Arist. Prior. Anal.* unde nomen sortitur) quæ respicit tantùm *subiecti universalitatem*, quæ latet in universalibus signis subiecto communi præfixis; nulla habitâ ratione ad materiam subiectatam; ut, *Omnis homo est lapis*, est vera propositio de omni, quoad formam propositionis, quia subiecto communi præponitur nota universalis, *Omnis.*

2 *Posterioristica* (de qua *Arist. post. c. 4.*) quæ respicit tum *universalitatem temporis:*

temporis: sc. ut semper subiectum conveniat prædicato, tum etiam *universalitatem subiecti*: quæ tamen non tam quæritur in signo, quàm in materiâ signo & subiecto universali substratâ: ut, *homo est Coloratus*, namque tales propositiones quandoque quoad formam sunt indefinitæ, sed in materia necessariâ universalibus æquivalent: unde nominantur universales. Atque his competit primus necessitatis gradus, scil. *De omni*.

Secundus gradus est, *Per se*, qui indifferenter afficit subiectum & prædicatum: de quo hæc tria sunt tradenda. 1 quid sit. 2 quotuplex, sive quid sit in Specie. 3 qui modi Perseitatis utiles sint ad Demonstrationem.

2 Per se quid.

Prædicatio *per se est*, quando inter subiectum & prædicatum talis est nexus essentialis, ut alterum ab altero dependeat tanquam à causâ.

Quotuplex sit ex typo quem hîc substituimus satis luculenter patebit.

Per se & per Accidens quotuplex.

- *Modi prædicandi* sunt, vel
  - 1 *Per se*, cum unus terminus est causa alterius, estque duplex, vel cum *prædicatum* reipsa
    - 1 *Non est distinctum* à subiecto: ut, *homo est*, ubi existentia de substantia dicitur: & tum est *Tertius modus*.
    - 2 *Est distinctum* à subiecto cui vel *localiter* est
      - 1 *Extrinsecum*: ut, *interpositio terræ inter Lunam & Solem*, & tum est *Quartus modus*.
      - 2 *Intrinsecum*, idque vel *essentialiter*
        - 1 *Constitutivè*, ut *homo est animal*, & tum est *primus modus*.

2 Con-

1 *Consequutivè*: ut *homo est risibilis*, & tum est *Secundus modus*.

2 *Per Accidens* cum neutrum est alterius causa, & tum *Prædicatum* vel reipsâ:

1 *Non est distinctum* à subjecto: ut, *color* est & tum opponitur 3 modo per se.

2 *Est distinctum* à subiecto, cui vel *localiter* est

1 *Extrinsecum*, ut me *ambulante fulguravit*, & opponitur 4 modo per se.

2 *Intrinsecum*: ut, *homo est albus*, & opponitur tùm primo quàm secundo modo per se.

Positâ generali modorum divisione, quid singuli sint in specie mox dicemus.

Primus modus est ut prædicatum insit subiecto, & sit de definitione ipsius: ut, *homo est animal*, in qua definitione hæ — 1 *Modus perfeitatis.*

Duæ conditiones sunt advertendæ.

1 Ut prædicatum insit reverà subjecto, seu ut sit naturalis prædicato; unde hæc propositio (*animal est homo*) non est in primo modo.

2 Ut prædicatum sit de definitione subiecti, & talia solùm sunt 5 prædicata, 1 *Genus proximum*, & 2 *remotum*, 3 *differentia proxima*, & 4 *remota*, 5 *definitio*.

Secundus modus est, ut prædicatum insit subiecto, quod interim est de definitione prædicati: ut, *homo est risibilis*, *rationale est risibile*. Ubi (ut supra) duo — 2 *Modus perfeitatis.*

duo sunt notanda, 1 ut prædicatum reverà insit subjecto, non contrà; unde hæc propositio, *risibile est homo*, non est in secundo modo; quia est prædicatio non naturalis: 2 Ut subiectum sit de definitione prædicati: unde solùm accidens proprium, seu effectus per emanationem (quando de subjecto suo, vel efficiente causa prædicatur) est in hoc secundo modo perfectis.

1 *Modus per Accidens.*

Cùm autem inter subjectum & prædicatum in utrisque primis modis sit essentialis dependentia; ideo unus tantùm modus per accidens in genere (in quo termini accidentaliter cohærent) indifferenter utrisque opponitur: ut, *homo est albus*: & dicitur *primus modus per Accidens*.

3 *Modus perfectis.*

Tertius modus est, cum existentia prædicatur de eo quod *est* per se (id) de subsistantia; atque hoc solum est in propositione secundi Adjacentis: ut, *homo est*; huic autem opponitur *secundus per Accidens*. Quando existentia prædicatur de accidente quod ineſt semper in alio: ut, *album est*.

2 *Modus per Accidens.*

4 *Modus perfectis.*

Quartus modus est, cum effectus ineſt alicui propriè ipsam causam, vel è contrà; namque parùm refert utrum effectus insit causæ, an effectui causa, dummodo sit mutua utriusque cohærentia. Et in hoc genere ponuntur causæ extrinsecæ quæ immediatè attingunt effectum, sive sit efficiens, seu finalis causa: ut, *Eclipsis est obumbratio terræ, desiderans sanitatem vult cibum concoqui*. Atque huic opponitur 2 *modus per Accidens*, quando inter terminos vel omninò nulla, vel saltem exigua dependentia, nulla rerum causalitas, sed nuda tantùm est concomitantia: ut, *ambulante Socrate fulgurat*.

3 *Modus per Accidens.*

Restat proximè ut ostendamus qui modorum *per se*, sunt utiles ad Demonstrationem, quod absolvam,

solvam, cum ultimum gradum necessitatis proposuero.

Tertius gradus Necessitatis est *Quatenus ipsum*, τὸ καθ' ὅλου πρῶτον, sive *universale primum*, quodque ipsum respicit *prædicatum*; atque dupliciter definitur, 1 quod omni inest, per se, & quà id ipsum. Hæc definitio ideò desumpta est à cæteris gradibus, quia gradus posterior semper est priori perfectior: primus enim notat tantùm temporis & subjecti universalitatem; secundus huic adjicit nexum essentialem, vel saltem infallibilem; tertius utrique superaddit reciprocationem terminorum. 2 definitur *universale*, quod de quovis, & primo demonstratur. Ubi aliquid de nomine primùm, deinde definitionis partibus dicemus. De nomine 1 observandum est, quòd dicitur *universale*, non ut natura communis in prædicando, non ut causa universalis in causando, non ut nota universalis in significando, sed minùs frequenti significatione, ut universale, *in attributionis adæquatione*; quando prædicatum, & subjectum in totâ latitudine, & ambitu adæquantur; qualia sunt hæc tria tantùm prædicata. 1 *differentia proxima*. 2 *definitio proxima*. 3 *affectio* seu propria passio speciei.

3 *Gradus Necessitatis.*

Quatenus ipsum, quid

1 Dicitur frequentiùs *quâ tale*, sive *quatenus ipsum*, quod hæc duo importet. 1 internam rationem prædicati ad subjectum, sive *specificationem* essentialémque dependentiam, & quantum ad hoc, genus dicitur quatenus ipsum. 2 *reduplicationem* terminorum una cum internâ dependentiâ: ut, *homo quâ homo est rationalis*, & *rationale quâ rationale est homo*; atque sic genus excluditur, & omnia essentialia prædicata, præter hæc tria suprædicta. Duæ sunt partes definitionis, prima est quòd dicitur prædicari de *quovis* (i.) de quâvis parte subjecti,

ſeu de ſubiecto in ſuâ latitudine; ſecunda dicitur de *primo* prædicari; ad cujus explicationem, notanda eſt hæc de *primitate* diſtinctio, alia namque eſt

Primitas {
1 *Attributionis tantùm*, quæ nullum aliud prius ſubiectum admittit, ſic *homo* eſt primum ſubiectum *animalis*, licèt brutum ſit æquè primum, eò quòd primò, id eſt, immediatè dicitur de homine.
2 *Adæquationis & attributionis ſimul*, quæ non patitur aliquod vel prius, vel æquè primum ſubiectum; hæc aliàs hucusque primitas abſoluta; & in hoc ſenſu *(primum)* in definitione adhibetur.

Hiſce breviter definitis duo reſtant indigitanda. 1 qui neceſſitatis gradus ſunt utiles ad Demonſtrationem. 2 quæ ſit cujuſvis propoſitionis neceſſitas in hac & illa Demonſtratione potiſſima. Primum hâc propoſitione abſolvam; Omnes gradus neceſſitatis & eorum ſingulæ ſpecies (excepto 3 modo per ſe.) ad aliquam Demonſtrationem ſunt utiles. Cujus veritas ſatis conſtabit, cum quæ ſit in ſingulis propoſitionibus neceſſitas (in Demonſtratione potiſſimâ) oſtendero; quod his propoſitionibus abſolvam.

Omnis gradus eſt utilis niſi tertius modus per ſe.

1 Ubi medius terminus eſt cauſa interna ſubjecti, & efficiens paſſionis, inter omnes terminos eſt cum arcta eſſentialis dependentia, ut omnes propoſitiones ſunt quatenus ipſum, & per conſequens de Omni, & Per ſe: Major & concluſio per ſe ſecundo modo, minor per ſe primo modo. *v. g. Omne rationale eſt riſibile, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis.*

Quæ neceſſitas in omni propoſitione reperitur.

2 Ubi

2 Ubi effectus per emanationem demonſtratur per conſimilem, ſed prædemonſtratum effectum: omnes propoſitiones ſunt quatenus ipſum, & per conſequens de omni, & per ſe: minor & concluſio per ſe ſecundo modo, major etiam per ſe ſecundo modo, quia affectio demonſtrat non vi propriâ, ſed derivatâ virtute cauſæ prædemonſtrantis. v. g. *Quicquid habet magnitudinem eſt mobile, locabile;* &c. *omne corpus habet magnitudinem, ergo omne corpus eſt mobile, locabile: &c.*

3 Ubi effectus demonſtratur per cauſam extrinſecam ſubiecto, nulla propoſitio eſt quatenus ipſum, deeſt enim interna & eſſentialis dependentia terminorum: major eſt per ſe quarto modo, concluſio ſecundo, ſi affectio cum circumſtantiis conſideretur, aliter enim eſſet accidens commune: minor eſt per ſe nullo modo, quippe cauſa accidentalis externa prædicatur de ſubiecto: denique omnes propoſitiones hîc ſunt de Omni, ſi medium ſumatur in actu ſignato, non autem quatenus jam exiſtit. v. g. *Inter quod & ſolem, à quo lumen mutuatur, terra ex diametro interponitur, (ſi ad illud terræ umbra perveniat,) eclipſatur;* at, *inter lunam & ſolem ſic ſe habentem terra ſic interponitur, ergo Luna eclipſatur.*

Ex his præjectis fundamentis tot eliciuntur corollaria.

1 Demonſtratio potiſſima conſtat ex univerſalibus & æternis.

2 Demonſtratio conſtat ex certis, non fortuitis, & caſualibus.

3 Demonſtratio non eſt ſingularium; quare nec ſcientia per ſenſum habeatur.

4 Demonſtratio conſtat ex propriis principiis, & non alienis.

Atque hactenus de definitionibus demonstrationis locuti sumus.

CAPUT. 9.

De Speciebus, & consequenter De mediis Demonstrationis.

PRoperamus ad ostendendum quod secundo loco proposuimus; viz. quot sunt Demonstrationis species; ubi simul patebit quæ causæ possunt esse medium per quod effectus possit actu demonstrari: quæ ut facilius dignoscantur, advertenda est hæc de Demonstratione distinctio,



2 *Formæ*, quæ cernitur partim in	1 *Quantitate*, unde alia est	1 Universalis. 2 Particularis.
	2 *Qualitate*, unde alia est	1 Affirmativa. 2 Negativa.
	3 *Modo probationis*, unde altera dicitur	1 Ostensiva. 2 Reducens ad Impossibile.

Positâ Demonstrationis serie, de singulis in specie mox dicendum. Et primùm à prima specie incipiamus (quæ his nominibus insignitur, *apodictica, potissima*; *à causa* κατ' ἐξοχὴν, *à priore, cur sit*, seu δι' ὅτι) atque priùs de demonstratione à causa intrinseca dicemus; de qua sicut de cæteris hæc duo trademus. 1 quid sit. 2 (positis omnium definitionibus) quæ regulæ sint obseruandæ.

Demonstratio à causa intrinseca est, in qua medius terminus est causa efficiens per emanationem majoris extremi seu passionis; sed minoris extremi, seu subjecti, vel est principium materiale, forma, vel affectio inhærens prædemonstrata. Unde liquet hujus classis tres esse species subordinatas. *Demonstratio à causa interna quid, & quotuplex.*

1 Cùm medium est forma subiecti, licèt affectionis sit causa efficiens: v.g. *Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis*, ergò, *omnis homo est risibilis*. Ubi (*rationale*) *forma hominis, est efficiens risibilitatis*. *1 à forma.*

2 Cùm medium sit principium materiale subiecti, & efficiens passionis per emanationem. v. g. *Quicquid constat ex unitatibus est par vel impar; omnis numerus constat ex unitatibus*, ergò *omnis numerus est par vel impar; ubi unitas est numeri materiale principium; sed imparitatis & paritatis causa efficiens.* *2 à materia.*

3 Cùm medium sit affectio subiecti prædemonstrata, per quam, alteram affectionem de eodem subiecto *3 Ab affectione priùs demonstratâ.*

jecto demonstramus, v. g. *Quicquid habet potentiam iudicandi de seriis & ludicris, illud est risibile, omnis homo habet talem potentiam*, ergò *omnis homo est risibilis*. Hæc est potissima Demonstratio, quia in ea concurrunt omnes supradictæ conditiones: virtus tamen & causalitas hujus medii dependet à causalitate medii in prædemonstrante hoc Syllogismo: *Quicquid habet animam rationalem habet potentiam iudicandi de seriis & ludicris; omnis homo habet animam rationalem*, ergò *omnis homo habet potentiam iudicandi de seriis & ludicris*. Ubi à *forma* hominis infertur *potentia iudicativa*, ab *hac illata* rursus infertur *potentia ridendi, flendi, &c.*

Demonstratio à causa externa quid & quotuplex.

Sequitur Demonstratio potissima à causa externa, quæ sic describitur. *Demonstratio à causa externa est*, in qua causa finalis vel efficiens per Actionem transientem est medius terminus, seu causa majoris extremi. Unde hæc Demonstratio in duas subordinatas species partitur.

2 Ab efficiente externa.

1 Est, ubi medium est causa efficiens extrinseca tam subjecti, quàm majoris termini. v. g. *Inter quod & solem à quo lumen manuatur, & ad quod terræ umbra perveniat, terra ex diametro interponitur, illud lumine deficiat: at inter solem & lunam, &c. terra sic interponitur: ergò Luna deficiat lumine.* Ubi defectio luminis demonstratur de luna per terram interpositam, quæ est causa remota, & longè distans. Nec obstat quo minùs hæc Demonstratio dicatur potissima, quòd in hac (quæ in cæteris inest) tanta propositionum necessitas non reperitur, siquidem hoc nomine insignitur, non in relatione ad necessitatem singularum propositionum; sed solùm ex parte finis, qui tum obtinetur, cùm effectum per causam qualemcunque mediatam (à qua dependet infallibiliter) de subjecto quolibet demonstramus.

2 Est,

2 Est, ubi medius terminus est causa finalis utriusque extremi, subjecti ut *cui*, affectionis ut *cujus gratiâ*, v. g. *qui vult cibum descendere ad fundum ventriculi ut celeriùs & perfectiùs concoquatur, quàm si fluitaret ad os, ut inde sanitatem recuperaret, post cœnam moderatè ambulat: febricitans vult sanitatem recuperare*, ergò *febricitans vult cibum descendere, post cœnam moderatè ambulare.* Ubi deambulatio & concoctio de febricitante demonstrantur per sanitatem, quæ est horum causa finalis. Et licèt hîc nulla sit absoluta propositionum necessitas; est tamen hypothetica ex suppositione finis, posito enim, quod febricitans vult sanitatem: omnes propositiones sunt de omni, & major per se quarto modo: quæ tanta est necessitas, quâ major, in tali materia practica seu contingenti, nec dari potest, nec quæri debeat, ad plenam quæsiti scientiam. Unde & hæc potissima Demonstratio meritò audiat. 2 *à causa finali.*

Positis definitionibus demonstrationum Apodicticarum, sequuntur jam regulæ, seu corollaria.

1 In omni Demonstratione ubi medium est interna causa, seu de definitione tam subjecti quàm affectionis, est summa necessitas in omni propositione. *Regulæ de speciebus demonstrationis.*

2 Omnis demonstratio potissima est primitivè affirmativa in *Barbara*, ex consequenti tantùm negativa in *Camestres*.

3 In omni demonstratione potissima saltem inter medium & majus extremum nexus est indissolubilis, & infallibilis necessitas.

4 Quicquid demonstratur apodicticè est Accidens.

5 In omni demonstratione potissimâ medium est definitio majoris extremi, non tamen formalis, aut aggregata, ex genere, causâ, & subjecto, sed

sed causalis tantùm.

6 Quatuor causarum genera habent locum medii termini, sed demonstrant solùm sub ratione finis aut efficientis.

7 Hactenus de principali demonstratione quæ ostendit *cur sit*. Sequitur demonstratio minùs principalis, quæ probat tantùm *quòd sit*; atque ita scientiam linquit imperfectam; hæc aliàs dicitur ἀτελὴς. Estque duplex

1 ab effectu. } Quæ duæ retinent nomen demonstrationis, quoniam duas habent præcipuas eius conditiones illa immedietatem, hæc
2 à causa remota. } causalitatem.

Demonstratio ab effectu (quæ aliàs *à posteriori* vocatur) est cùm effectus necessarius, est medius terminus, probátque *quòd causa* eius proxima & immediata tali *subiecto competat*. v.g. *Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis*, ergò *omnis homo est rationalis*, huius autem duæ sunt species; vel enim medium est effectus.

1 Per emanationem.
2 Per actionem externam.

De quibus isti Canones sunt observandi.

1 Tum demonstramus per effectus, quando causæ rerum nos latent.

2 In inveniendis scientiis procedimus semper à cognitione effectuum.

3 Demonstratio ab effectu plerunque efformatur affirmativè in *Barbara*, quandoque sed rariùs negativè in *Camestres*.

4 Demonstratio ab effectu per emanationem præstantior est quàm à causa remota. 1 ex parte *formæ*, cùm illa sit affirmativè in *Barbara*, hæc negativè in *Camestres*. 2 Ex parte *materiæ*, nam in illa est

summa

summa necessitas singularum propositionum (differt namque à potissima tantùm situ terminorum; à quâ fit per mutationem maioris termini in locum medii.) In hac nulla propositio est quatenus ipsum; vix ulla posset, nisi tantùm maior, idque 1 modo, ut causa remota: quæ ut evidentiùs innotescant, proximè videndum est quid sit.

Demonstratio ὅτι, à causa remota est, cùm medius terminus est causa remota maioris extremi seu effectûs, quem ordinariò non nisi negativè demonstrat in secunda figura, scil. in *Camestres*. v. g. *Omne risibile est animal, nulla arbor est animal*, ergò *nulla arbor est risibilis*. Ubi risibile negativè de arbore demonstratur per animal, quod est causa remota risibilitatis, namque à remotione causæ remotæ ad ablationem effectûs sui sequitur illatio. De hac autem notandæ sunt hæ regulæ. *Demonstr. à causa remota.*

1 Hæc demonstratio inter prædictas minimam habet necessitatem terminorum inter se. *Regula de demonstr. à causa remota.*

2 Hæc demonstratio est membrum demonstrationis, quæ passim à Philosopho *particularis* appellatur.

3 Hæc demonstratio nunquam fit affirmativè in *Barbara*, nisi contingat effectum cum causa remota reciprocari, v. g. *Quod habet animam nutritur, omnis planta habet animam*, ergò *omnis planta nutritur*. Ubi nutritio (cujus proxima causa est anima vegetativa) cum anima indefinitè sumptâ reciprocatur.

Hucusque de 1 Demonstrationis partitione, quæ à materia erat desumpta, sequuntur distinctiones à forma petitæ, vel potiùs ab affectionibus prædictarum specierum analogicarum. Et primùm dicemus de prima, quæ non tam à forma (1.) à signorum quantitate deducitur, quàm reverà à necessi-

tate

tate vel contingentiâ materiæ (*licèt aliter cum vulgo loquimur*) quæ terminis & signis substernitur.

Unde alia dicitur { 1 Universalis, } de quibus sigil-
{ 2 Particularis, } latim.

Demonstratio universalis quid.

1 *Universalis Demonstratio* est, in quâ affectio demonstratur de subjecto primo adæquato atq; universali per causam immediatam, ut cùm *risibile* de *homine* demonstramus per animam rationalem, atque hujus generis sunt omnes Demonstrationes potissimæ, ostendentes *cur sit*, ut & demonstratio probans *quòd sit* ab *effectu* per emanationem.

Demonstratio particularis quid.

2 *Particularis* (non sic dicitur quasi termini essent particulares, sed) *definitur demonstratio*, in quâ affectio de subjecto minùs universali demonstratur, inadæquato, seu de altera tantùm parte subjecti primi: ut cùm *sensibile* demonstramus de *homine* per *animam sensitivam*, aut *mobile* de *homine* per *naturam*.

Divisio est ex Qualitate { 1 Affirmativam.
in Demonstrationem, { 2 Negativam.

Demonstratio affirmativa quid.

Demonstratio affirmativa est, in cujus conclusione prædicatum affirmatur de subjecto; quod, exceptâ particulari, quæ nonnunquam est negativa, in omnibus evenit Demonstrationis membris.

Demonstr. negativa quid.

Negativa est in cujus conclusione prædicatum de subjecto negatur: ut, *Omne respirans est animal, paries non est animal, ergò paries non respirat.* Atque hoc frequenter accidit in Demonstratione *ex causa remota*: possit etiam in omnibus aliis Demonstrationibus accidere, sed hoc rariùs, idque tantùm ex consequenti, nam affirmatio est negatione, tum re tum cognitione nostrâ, prior, & potior.

3 Divisio est ex modo probationis seu inferentiæ, unde alia est { 1 Ostensiva.
{ 2 Reducens ad Impossibile.

Demon-

Demonstratio Ostensiva est, in qua conclusio evidenter & directè infertur, ex præmissis prioribus, notioribus: &c. cujus generis sunt omnes quæcunque sunt suprà nominatæ Demonstrationis species, vel analogata. *Demonstratio Ostensiva quid.*

Demonstratio ducens ad Impossibile est, quando conclusiones probamus ideò veras esse ex præmissis positis: quòd earum contradictoriæ sunt apertè falsæ. Ut si hæc conclusio sit inferenda, *Omnis homo est risibilis*, idque ex his præmissis: *omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis*; cujus *maior*, si ab adversario negetur, urgemus illum hoc absurdo, assumptâ maioris contradictoriâ: *Sic, nullum rationale est risibile, omnis homo est rationalis*, ergò *nullus homo est risibilis*: quæ conclusio, cùm sit apertè falsa, concludimus tam maiorem in Prosyllogismo, quàm conclusionem ipsam fuisse veram; vel duo contradictoria simul esse vera vel falsa: atque hic gradus est omnium Demonstrationum infimus. *Demonstratio ducens ad Impossibile quid.*

Hîc autem advertendum est, quòd contraria universalis propositio potiùs est sumenda, quàm contradictoria particularis: tum quia particulares propositiones in Demonstratione locum non habent, tum quòd contrariæ in materia necessaria locum habent contradictoriarum. *Zabarel. in lib. 1. post. cap. 22. text. 176.* Nota.

Atque hæc de Demonstrationis divisione & singulis eius membris dixisse sat erit.

CAP. 7.

CAP. 7.

De Affectionibus Demonstrationibus.

Affectiones Demonstr.

TRanseamus ad id quod secundo loco proposuimus ut ostendamus quot sunt *Affectiones* potissimæ Demonstrationis. Sunt autem duæ

1 Regressus, ubi obiter dicemus de Circulo.
2 Conversio in Definitionem.

Regressus quid.

Regressus cum fit, cùm inter causam & effectum sit attributio reciproca, ita ut à confusa & experimentali cognitione effectûs procedamus ad distinctam causæ intelligentiam, & rursus à causa distinctè cognita regrediamur ad distinctam cognitionem effectûs. Vel sic aliàs: *est reciprocatio Demonstratio*, quâ per effectum aliqualiter notiorem, causam adhuc ignotam demonstramus (*quod sit:*) circa quam adhibitâ disquisitione, per simplicem majoris propositionis conversionem, eundem effectum (*cur sit*) demonstramus per causam inventam & cognitam. v. g. *Omne non scintillans propè est, planetæ non scintillant*, ergò *planetæ propè sunt*. Ubi effectus, (*non scintillatio*) demonstrat causam suam (*propinquitatem:*) sed causâ hâc semel inventâ & cognitâ, ad effectum accuratiùs cognoscendum, regressus sic instituitur. *Quæ propè sunt non scintillant, planetæ propè sunt*, ergò *planetæ non scintillant*. Sed ut meliùs cognoscatur, advertendum in quo discrepant Circulus & Regressus.

Circulus quid.

Circulum sic definimus. Est talis Demonstratio reciprocata, quarum utraque à priore procedit, & vicissim *cur sit* ostendit. Quod penitus est impossibile,

cùm

cum sic per consequens, idem à seipso demonstraretur, idem respectu ejusdem causa esset & effectus, prius & posterius, notius & ignotius, eodemque modo. Atque hinc est quòd exterminato *Circulo*, venemus *Regressum* ad Demonstrationes vel potissimas non inutilem. Positis utriusque definitionibus; mox dicendum in quibus differunt *Circulus* & *Regressus*. *Differunt* autem,

Circulus et Regressus tribus differunt.

1 *Formâ*, nam *Circulus* ex præmissis conclusionem demonstrat, ex quâ in locum majoris translatâ, & minore simpliciter conversâ, rursum demonstrat majorem; deinde ex eadem conclusione in locum minoris translatâ, & majore (loco suo) simpliciter conversâ, demonstrat minorem: Quod in hac instantia cuivis periculum facienti constabit; *omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis*, ergo *omnis homo est risibilis*. In *Regressu* verò demonstramus tantùm minorem, ex majore simpliciter conversâ, & conclusione in minoris locum translatâ. Atque sic erit in omni propositione naturalis prædicatio, quæ non est in *Circulo*.

2 *Materiâ*, nam *Circuli* materia (seu medius terminus) est uniformis in utrâque demonstratione, cum sit causa proxima majoris extremi, & *cur sit* probans. In *Regressu* verò effectus primò demonstrat *quòd sit*, causa; dein post adhibitam mentis disquisitionem circa causam, causa demonstrat *cur sit* effectus.

3 *Fine*. Namque in *Circulo* idem est finis & principium, cum à causâ distinctè cognitâ ad causam distinctè cognitam præcedat; & ab hâc regreditur ad illam. In *Regressu* verò finis est distincta scientia effectûs; atque primus progressus est ab effectu confusè cognito, ad causam confusè noscendam; à causâ verò confusè cognitâ, adhibitâ

mentis negotiatione ad distinctam causæ cognitionem pervenimus, à quâ semel intellectui habituatâ & radicatâ, regredimur ad effectum distinctè cognoscendum. Atque hæc de prima Demonstrationis affectione, tàm verâ, quàm falsâ.

Sequitur 2 Affectio. Estque *Conversio Demonstrationis in Definitionem* (i.) in definitionem Accidentis demonstrati: quod ut evidentiùs constet notandum, quòd

Definitio Accidentis est triplex

1 *Essentialis* (quæ aliàs dicitur *Nominalis*) constans ex Genere, & Subjecto; atque hæc de Accidente præcognoscitur ante ingressum Demonstrationis.

2 *Causalis*, quæ semper est medius terminus in demonstratione potissimâ ostendens *cur sit* effectus: hæc autem non nisi post adhibitam demonstrationem innotescit.

Conversio Demonstrationis in definitionem.

3 *Aggregata ex utrâque* (i.) ex genere, subiecto, & causâ, atque in hanc solùm demonstratio convertitur, à quâ differt tantùm situ & dispositione terminorum.

Quòd si quispiam interroget (quoniam subiectum est semper minus extremum, causa est medium; & affectio seu definitum ipsum, non autem genus affectionis, sit majus extremum) quem locum generi tribuimus? Respondemus, parum interesse, utrum ipsum definitum, an definiti genus sit majus extremum; nam genus restrictum per subjectum, est nominalis definitio, quæ cum definito unam & eandem rem designat; atque idem est ambitus utriusque: differunt autem in hoc, quòd adhibito genere facilior erit conversio in Definitionem, quoniam

niam nulli termini mutantur. Minus autem expedita Conversio, ubi ipsa affectio seu definitum est majus extremum. v. g. *Omne rationale habet naturalem potentiam ad ridendum: omnis homo est rationalis*; ergo *omnis homo habet naturalem potentiam ad ridendum*. Hic (non risibile) sed genus ipsius est majus extremum: atque servatis omnibus terminis hæc demonstratio immediatè convertitur in hanc definitionem aggregatam *risibilis*. *Risibile* est naturalis potentia ad ridendum in homine orta ex animâ rationali.

Atque hæc de Demonstratione dixisse sufficiat.

Finis Demonstrationis.

LIBER QUINTUS.

CAPUT. I.

De Syllogismo Topico in genere.

DE Syllogismo itaque *Demonstrativo*, cujus finis est perfecta scientia; cujus autem materia est necessaria, hactenus. Dicemus jam de *Dialectico* sive *Topico* Syllogismo, cujus finis est opinio, materia verò probabilis & contingens. De quo agendum est dupliciter. 1 *Generatim*, ubi 1 quid sit in genere dicemus: 2 quot sint ejus species: 2 *Speciatim*, ubi agemus de loco quolibet in specie; 3 proponentes hæc tria: 1 quid sit: 2 quomplex: 3 qui Canones seu axiomata de singulis observanda sint,

Syllogismus Topicus quid.

Definitur Syllogismus Topicus in genere, Argumentatio ducta à locis probabiliter arguendi ad Opinionem vel Fidem faciendam. Quam definitionem per partes sic explico.

Genus (ut suprà de Demonstrat. cap. 1.) est *Argumentatio* sive Syllogismus, non imperfectus, sed integer: Etsi enim Enthymematicè aliquoties procedamus inter disputandum, nunquam tamen excluditur propositio subintellecta, quoniam ex habitudine medii termini ad majus extremum, desumitur ratio & distinctio hujus Syllogismi. Atque in hoc convenit cum Syllogismo Demonstrativo & Sophistico.

Altera pars definitionis duas includit differentias, alteram à materia, alteram à fine desumptam; prior est in his verbis *à locis probabiliter arguendi*, ad quorum explicationem videndum est. 1 quid sit *locus*. 2 quid sit *probabile*.

Locus quid.

1 *Locus* dicitur alio nomine, *nota, caput inventionis, thesaurus*, unde ad libitũ opes ingenii depromantur, sive *sedes argumenti*; unde & Syllogismus dicitur *Topicus* à Græco nomine (τόπος) significante locum; quo in sensu soli Dialectico non convenit: nam & Demonstrator & Sophista suas habent argumentandi *sedes*, sive locos communes tali materiæ convenientes. Atque sic locus sumitur dupliciter: 1 pro *generali classe*, unde argumenta ducuntur, q. g. 2 Subjecto, 3 Adjuncto, 4 Testimonio; quo in sensu *Locum* nos hic sumimus, 2 pro *speciali regulâ*, sive axiomate quod sub isto generali capite continetur, quodque reverà propriissimè & maximè locus est, unde & *Maxima* nuncupatur, sed distinctionis & perspicuitatis gratiâ, ipsum *caput* in genere, nos appellabimus locum; axiomata verò sub ista classe contenta, *regulas, Canones,*

mones, maximas, dignitates pro libito indiscriminatim vocemus.

2 *Probabile* definitur, 1 quod verum videtur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, iisque vel omnibus, vel plerisque, vel sapientissimis. 2 quod veram producit cognitionem, sed imperfectam & debilem eorum quæ aliter se habere possunt. Per quam definitionem distinguitur tàm à materia seu medio necessario, quod cognitionem parit *infallibiliter* veram; quàm à materia fallaci, quæ tametsi probabilis videatur, revera *fallax* est, tantúmque *quoad apparentiam* probabilis aut contingens. *Probabile quid.*

Secunda Differentia à fine desumpta est his verbis, *Ad opinionem vel fidem faciendam.* Nam Dialecticus vel respicit tantùm *cognitionem* inchoatam & debilem, & tum finis ejus est *Opinio*; vel *praxin* cognitioni conjunctam, & tum finis ejus est *Fides* sive *persuasio.* Interea tamen fines isti sunt externi, si ad opus ipsum, scilicet Dialecticam, referantur; (quæ suppetit tantùm materiam, sive media per quæ illautos fines dextrè & faciliter assequamur) unde & appositè vocantur fines *operantis* sive *Dialectici*, finis autem internus, *operis*, seu *Dialecticæ*, est conficere Syllogismum in tali materiâ probabili.

Opinio, est cognitio debilis & inchoata quarundam conclusionum quæ probabiliter veræ vel falsæ esse possunt, orta ex mediis in utramque partem respicientibus, ad verum inveniendum adhibitis. Unde liquet opinionem ad scientiam, tanquam *dispositionem* referri ad perfectum *habitum*; ita ut Syllogismus Demonstrativus (si rem ipsam respiciamus) adæquatus Logicæ finis, meritò vocetur: quòd si diversos differentium scopos & intentiones *Opinio quid.*

ciones ritè ponderemus, Dialectici finis ultimus est *Opinio* vel *Fides*, ad quam faciendam adhibemus nonnunquam *media* quædam suâ naturâ *necessaria*, quod patet in argumentis deductis à locis causæ efficientis aut finalis.

Fides quid. *Fides Oratoria*, est notitia ad praxin ordinata quarundam conclusionum, quæ probabiliter veræ vel falsæ esse possint, orta ex mediis persuasibilibus. Unde liquet fidem Oratoriam ex eâdem materia contingenti productam esse, ex quâ Opinio generatur, hoc tamen interest in particulari ex parte materiæ; quòd locus omnis ad persuadendum idoneus (quales sunt à *Similitudine* & *Exemplo*) est etiam probabilis, sed non è contrà; nam minimè omnium suadent argumenta quæ ducuntur à loco materialis aut formalis causæ. Atque hæc de definitione Syllogismi Dialectici in genere.

Species & numerus locorum Syllogismi Dialectici. Succedunt *species* ipsius, quæ non aliunde quam ab ipsis arguendi locis sunt petendæ. Qui omnes loci, vel saltem plurimi & utilissimi ad has subsequentes classes possint revocari. Primus erit à Causa, quæ complectitur hæc quatuor membra: 1 efficientem (ad quam spectant loci personarum:) 2 finalem. 3 materialem (ad quam reducuntur argumenta tum à genere ad speciem, tum à specie ad individua.) 4 formalem, ad quam referuntur differentia, definitio & descriptio: Secundus, à Causato (quod communiter effectus dicitur) ad quam classem reducuntur argumenta ab individuis ad speciem, à specie ad genus, à definito ad definitionem. 3 à Subiecto. 4 ab Adjuncto. 5 à Dissentaneis. 6 à comparatis, paribus & imparibus, majori & minori. 7 à Conjugatis. 8 à Distributione. 9 à Signo. 10 à Testimonio.

Plures his locos subjungere, nec patitur brevitas, nec impellit

impellit necessitas; cùm & hi suprà enumerati sint maximè notabiles, & ad hos cæteri plerunque omnes nullo negotio referantur. De his itaque eodem ordine quo proponuntur dicturi; initium sumimus à loco *causæ*.

CAPUT. 2.

De loco Causæ in genere.

DE *loco causæ* agendum est dupliciter.
- 1 *Generatim*, in hoc capite; ubi hæc tria proponemus.
  - 1 Quid sit.
  - 2 Quotuplex.
  - 3 Quæ sint ejus Canones.
- 2 *Speciatim* in sequentibus capitibus.

1 *Causa* in genere *definitur*, cujus vi res est, & causatur. 1 *Causa quid.*

Argumentum itaque *à causâ* est, cum in Syllogismo probabili medius terminus est causa majoris extremi. *Locus à causis in genere.*

2 Causa autem est duplex,
- 1 *Externa*, quæ est extra essentiam causati, estque vel
  - 1 *Efficiens.*
  - 2 *Finalis.*
- 2 *Interna*, quæ constituit essentiam causati, estque vel
  - 1 *Materialis.*
  - 2 *Formalis.*

2 *Causa quotuplex.*

De *causis in genere* isti *Canones* sunt observandi.

1 *Causa est prior causato*, (pro quo vid. *cap. 4. de demonstrat.*) idque 1 *naturâ*, quoniam ab illa dependet causatum in esse, & produci: 2 *cognitione*, si naturæ non depravatæ, sed integræ ductum sequamur; nam ad perfectam & distinctam causati cognitionem, necesse est præcedat perfecta causæ

notitia: 3 dignitate, propter *dependentiam* quam causatum habet ex parte naturæ, & cognitionis; quòd si causatum *absolutè* consideretur, causatum aliquando est nobilius suâ causâ: ut, *homo* est ita præstantior *cœlo*, & omne *animatum inanimato*, licèt cœlum sit causa remota in generatione hominis.

2 *In omni disquisitione causæ sistendum est in aliqua* (in suo genere) *primâ*: tum quia finitus est causarum numerus; tum quòd infinitæ causæ non possint actu pertransiti; & consequenter causatum per causas non poterit perfectè cognosci.

3 *Causa & causatum sunt simul*, cùm tempore, tum respectu actualis influxûs in causatum; nam impossibile est ut causa actu influat, & non sit aliquod causatum, in quod influat; *atque sic hæc regula non pugnat cum prima.*

4 *Omnis causa agit & influit in causatum*, sed diverso modo: Materia & Forma constituendo: Finis movendo efficientem: Efficiens operando: quòd si de *actione physicâ* loquamur, tum soli efficienti convenit actio, non finali, neque materiali aut formali causæ in quantum tales, sed tantùm sub ratione efficientis.

5 *Nihil fit absque causa.* Regula tenet de omni ente creato, nam unumquodque habet dependentiam vel à causa secunda, vel saltem à prima; & à seipso nihil oriri potest.

6 *Causa privativa non producit positivum effectum:* scil. per aliquem influxum realem, sed tantùm occasionaliter, seu ex accidente, quatenus conjungitur cum aliquo ente reali cooperante, & producente tale causatum reale positivum.

7 *Causa positiva non producit non ens per se*; nam causa, qua talis, influit esse in aliud, & causatum accipit

cipit esse à causa; non ens autem non habet esse, ideóque per se nec intenditur, nec producitur.

Hæc de loco causæ in genere.

CAP. 3.

De loco causæ efficientis.

DE *efficiente* hæc tria sunt tradenda. 1 quid sit. 2 quotuplex. 3. qui sint ejus Canones.

1 *Efficiens quid.*

Efficiens *definitur*, causa per quam effectus sit, producitur, sive in actu constituitur.

Locus ab efficiente.

Argumentum autem *ab efficiente causa* est, cùm in Syllogismo probabili medius terminus est efficiens majoris extremi: ut, *terra ex diametro interponitur inter Solem & Lunam*, ergò *Luna eclipsatur.*

2 *Efficiens quotuplex.*

Efficiens, (quantum attinet ad præsens institutum) est duplex. 1 *per accidens*, quæ efficit præter naturæ inclinationem aut animi propositum. 2 *per se*, quæ suâ facultate efficit: estque vel *Instrumentalis*, quæ efficit per vim à principali causa impressam: vel *principalis*, quæ instrumentali utitur: estque duplex: 1 *Libera*, quæ agit & deliberatione & consilio. 2 *Naturalis*, quæ efficit ex necessitate naturæ, & ad unum determinatur. Estque vel *Univoca*, quæ efficit sibi simile in specie. Vel *Æquivoca*, quæ producit dissimile in specie: utraque autem est vel per *Emanationem*, cujus effectus immediatè producitur & terminatur in eodem subjecto: vel per *externam Transmutationem*, cujus effectus producitur in subjecto remoto, vel aliquantulùm distante. Estq; vel *Proxima*, quæ immediatè attingit effectum forinsecus productum; vel *Remota*, quæ immediatè tantùm operatur.

Canones

3 *Canones efficientis.* *Canones efficientis* (præter datos de causis in genere) hisce similes esse possunt.

1 *Omnis causa efficiens est externa.* Quæ regula communis est efficienti cum finali; neque fallit, si illud dicatur externum quicquid non est pars constitutiva causati; nam in actione immanenti licèt efficiens insit eidem subjecto cum effectu, (unde apud quosdam dicitur interna, ut & finis internus) nunquam tamen est pars essentialis constituens effectum, unde tantùm dicitur interna quoad residentiam vel existentiam, externa quoad productionem causati.

2 *Efficiens non dat quod in se non habet*, vel formaliter, vel saltem virtute suâ & eminenter, quomodo *Sol dat calorem sublunaribus*; & *Cos aciem cultro.*

3 *Omnis effectus causæ per Accidens est reducibilis ad causam aliquam per se.* Nam dicitur tantùm effectus per accidens; quatenus accidit præter solitam naturalium inclinationem, aut liberè agentium cognitionem: attamen infallibiliter evenit ad positionem suæ causæ proximæ, cujus respectu dicitur effectus per se: ut, *fiat effossio agri ubi reconditur thesaurus, & necessariò sequitur ejusdem inventio.*

4 *Efficiens principalis est nobilior effectu.* Tenet hæc regula etiam in cæteris causis per se, quantum ad hanc efficientiam; quòd si suppositâ hâc dependentiâ *absolutè* comparentur, tum nonnunquam effectus est nobilior, quia *Substantia causatur instrumentaliter ab accidente*, attamen in generē entis eo longè est nobilior: ut, *filius quandoque est nobilior patre*, tam quoad corporis, quàm animi dotes.

5 *Causa instrumentalis non movet nisi moveatur.* Eo enim respectu quo dicitur instrumentum, virtutem desiderat principalis causæ: ut, *Securis ad secandum, penna ad scribendū*, eget aliquâ efficiente causā ad

ad operis inchoationem, & ejusdem perfectionem.

6 *Eadem est actio instrumenti, & principalis causæ*; Saltem quoad determinationem ad hunc effectum: nam licet ex peculiari forma instrumenti oriatur propria quædam dispositio ad effectum, indeterminatè tamen se habet, donec à principali agente determinetur, impellatur, aut dirigatur.

7 *Posità in actu efficiente causâ naturali seu necessariâ, sive fit per emanationem, sive per externam transmutationem (modò sit proxima, adæquata, & totalis) necessariò ponitur effectus*: ut, *igne posito fit calor* ex necessitate naturæ; nam ex hac hypothesi ignis non potest non agere, vel actionem calfaciendi suspendere, quoniam ad hoc unum à natura determinatur. Secus autem se habent *agentia voluntaria*, nam positis omnibus prærequisitis ad agendum, possunt adhuc suspendere actum.

8 *Causæ causæ est causa causati*. Tenet regula de causis naturalibus & essentialiter subordinatis, non autem in voluntariò agentibus, nam Diabolus & homo sunt causa peccati, & Deus est causa utriusque, sed non inde sequitur Deum esse causam peccati, quia creaturæ rationales per originalem libertatem sponte peccârunt: non autem ex necessitate naturæ suæ.

9 *In effectibus univocis qualis causa, tale causatum*. Quia causa univoca semper producit effectum sibi similem in specie. *Sic filius est patri similis* Secus accidit in causis æquivocis: ut, *inter Solem & hominem nam homo non est similis Soli*. Deinde vera est regula, si de *bonitate* effectûs & causæ loquamur; nam si causæ ad ultimum suæ potentiæ agant, effectum sibi similem bonitate & perfectione producent: ut, *bonus sutor bonum efformat calceum*.

Hæc de loco efficientis causæ.

CAP. 4.

CAPUT 4.

De loco causæ finalis.

DE *Causa finali* hæc tria sunt declaranda. 1 quid sit. 2 quotuplex. 3 qui sint ejus Canones.

Finis quid *Finis*, est propter quem, seu cujus gratiâ res est, vel ad quem efficiens ordinatur.

Locus finis. Argumentum à *loco finis* est, cùm in Syllogismo probabili medius terminus est causa finalis majoris extremi.

Finis quotuplex. *Finis* (quantum sufficit ad hunc locum) est vel *subordinatus, ultimatus* & propinquior, quem efficiens non propter ipsum appetit, sed propter finem alium ulteriorem. Vel *ultimus* & remotus, quem efficiens propter se appetit. Estque duplex. 1 *Universalis simpliciter omnium*, cujus in gloriam omnia cedunt, atque est solus *Deus Opt. Max.* 2 *Specialis* seu in suo genere ultimus, ad quem singula in suo genere referantur.

De fine isti *Canones* sunt tenendi.

Regulæ de fine. 1 *Cessante fine cessat efficiens.* Regula est de ultimo fine, qui nisi ponatur, efficiens non allicitur ad agendum, cùm nihil agat nisi moveatur desiderio finis: unde & appellatur *Causa causarum*: motus ejus dicitur *metaphoricus*, non physicus, nec moralis, sed *sufficiens* tamen ad irritandam efficientem. Finis autem subordinatus non ita efficaciter movet, quin hoc cessante aut spreto, ab altero moveatur in eundem finem ultimum.

2 *Finis est præstantior, & prior mediis in finem tendentibus* Prior scil. intentione & quoad causalitatem

tem suam objectivam; sed quoad sui productionem est posterior, & effectus appellatur. *Præstantior* est, quâ talis, & quoad hunc respectum; nam si in se absolutè considerentur, media nonnunquam finibus sunt potiora: ut, *Angeli & Cælum* ordinantur *ad homines* conservandos, tanquam in aliquem finem subordinatum, tamen *natura Angeli* est præstantior *homine, & cælum* (quantum ad arctam unionem formæ cum materia) *hominem* superat.

3 *Omne agens agit propter finem.* Quod clarum est in agentibus voluntariis, quæ agunt cum cognitione finis & circumstantiarum, tum etiam in cæteris animalibus quæ cognoscitivam habent facultatem: agentium verò naturalium (tametsi finem non cognoscunt per se) appetitus ab agente primo in unum finem dirigitur & determinatur.

4 *Finis per se, & suâ naturâ est bonus.* Bonum enim & finis convertuntur, & nihil movetur à quoquam finaliter nisi sub ratione boni, vel utilis, jucundi, honesti, vel naturæ suæ congruentis. Malum verò, quâ tale, non excitat sui desiderium, neque appetitum terminat, nisi in quantum est, vel saltem *apparet* sub specie boni, aut bono majori (quod malitiam præponderat) conjungatur.

5 *Qui vult finem vult conducentia ad finem, & qui negligit media conducentia, non vult ipsum finem.* Canon obtinet, si finis efficaciter sit volitus; nam si inefficaciter, oscitanter, & votis tantùm desideretur finis, tum non dicitur volitus, sed volitus inefficaciter *velleitate* quâdam, non *voluntate*, & arguit potiùs negligentiam finis & mediorum.

6 *Finis est optabilior & amabilior mediis quatenus sunt media.* Nam mediis dat amabilitatem: ut, *potio amara dulcescit propter sanitatem* cùm itaque media efficiat amabilia, sequitur ipsum esse magis expetendum

dum & amandum : *juxta illud Arist. 1. post. cap. 2. text. 15. 16.* quod efficit tale est magis tale.

7 *Finis ultimus perficit agentem.* Nam fines subordinati non movent nisi in virtute ultimi, unde sequitur omnem eorum perfectionem eminenter in ultimo includi, quo semel acquisito, cessat & completur omnis actio.

8 *Ex diversitate finium desumitur distinctio actionum præsertim moralium : ut, pecuniæ largitio propter honestatem, & pro fama, sunt duæ actiones distinctæ, licèt sit eadem quantitas pecuniæ eadémque recipientis necessitas.* Nam non ex substantia aut materia actus specificatur, sed præcipuè ex circumstantia finis: unde magis optanda sunt amici vulnera cùm in tutelam intenduntur, quàm inimici oscula quæ exitio semitam struunt.

Hæc de loco Causæ finalis.

CAPUT 5.

De loco Causæ materialis.

Materia quid.

Locus causæ materialis.

Materia quotuplex.

DE loco *Causæ materialis* (ad quem argumenta spectant à genere ad speciem, & à specie ad individua) tria ut in cæteris sunt tradenda. 1 quid sit, 2 quotuplex. 3 quæ sunt ejus axiomata.

Materia, est ex qua res fit, & constat.

Argumentum dicitur à *loco materiæ*, cùm in Syllogismo probabili medius terminus est causa materialis majoris extremi, vel illius genus aut species.

Materia autem est duplex, 1 *Analogica*, quæ secundùm

tandùm similitudinem materia dicitur: ut *literæ, syllabæ,* & *verba sunt materia orationis*: ut, & omne illud *circa quod* artifex operatur, materia nuncupatur. 2 *Vera*, quæ cùm forma constituit compositum substantiale: estque vel *Prima*, quæ indifferens est ad omnes formas: vel *Secunda*, quæ cùm sit compositum subsistens, & ordinabile ad actum ulteriorem, materia tantùm dicitur propriè: ut, *elementa*, tametsi sint composita substantialia, *ingrediuntur mixtum integrè, quoad essentiam, sed tantùm sub ratione materiæ*. Atque hæc materia secunda est duplex. 1 *Proxima*, ex qua res proximè fit. 2 *Remota*, ex qua mediante res fit & constituitur.

Generis, speciei, & individui explicationes (tùm quoad definitiones, divisiones, & Canones) petendæ sunt a *lib. 1. cap. 1, 2, 3.*

Sequuntur *Canones* pertinentes ad locum materiæ.

Canones materiæ.

1 *Absque materia nihil fit aut producitur.* Canon est de *naturali* rerum productione per generationem; tùm etiam de *artificiali*, per artem & scientiam; non de *supernaturali* per creationem, nam omnia primitùs ex nihilo prodibant: unde constat intendum esse in aliqua materia prima.

2 *Posito materiato sequitur materiam esse, vel fuisse.* Nam aliquando materia *permanet*, ut lapides in ædificio; aliquando *transit* materia, ut farina in panem; ideóque verum est dicere, panis est, ergò fuit farina.

3 *Dignitas materiati desumitur ex dignitate materiæ*; præsertim in rebus *artefactis*; sic dignior est annulus aureus argenteo, quia aurum est dignius argento.

4 *Materia propriè sic dicta convenit solis substantiis*; est enim compositi substantialis aliqua pars essentialiter

tialiter constitutiva; materia autem *analogica*, materia *in qua*, & *circa quam*, conveniunt multis accidentibus.

5 *Materia est prior formâ quoad essentiam, posterior quoad dignitatem*: Canon præcipuè respicit materiam primam, quæ præcedit omnem formam, nec fallit in materia secunda è cujus gremio forma materialis educitur: Sed forma perficit materiam, atque ob id ei dignitate præest.

6 *Materia secunda est determinata ad unam formam*; ita tamen ut successivè pluribus formis possit subesse, etsi non simul; ut ex equi mortui materia renascuntur vespæ, unde iterum novâ formâ informatur.

CAPUT 6.

De loco causæ formalis.

SEquitur *locus à formali causâ* (ad quem reducuntur argumenta à differentia ad speciem, à definitione ad definitum:) ubi tria hæc sunt tradenda. 1 quid sit forma. 2 quotuplex. 3 qui sit ejus Canones.

Forma quid.

Forma est causa per quam res est id quod est.

Locus à forma.

Argumentum est *à loco, forma*, cùm medius terminus in Syllogismo probabili sit forma, definitio, descriptio, vel differentia majoris termini.

Forma quotuplex.

Forma autem (ut nembra minùs utilia transeamus) est duplex, 1 *Accidentalis*, 2 *Essentialis*.

1 *Accidentalis* forma est, quæ dat subjecto (hoc enim in actu primò constituto) esse accidentale; & est vel quodlibet accidens in genere, vel in specie

forma

forma accidentalis naturalis in quarta specie qualitatis: vel in eadem specie forma artificialis, quæ opificis manu inducitur.

2 *Essentialis* forma est, quæ dat formato esse substantiale; estque vel *Immaterialis*, quæ non educitur è potentia materiæ, sed creando infunditur, & infundendo creatur, ut *anima rationalis*: vel *Materialis*, quæ è potentia materiæ producitur: estque vel, *generica*, *specifica*, vel *numerica*, quæ formato dat esse genericum, specificum, vel numericum.

Pro explicatione differentiæ definitionis, & descriptionis, consule lib. 1. cap. 4. & lib. 2. in Appendice de Definitione.

Sequuntur *Canones* à loco formæ.

1 *Positâ formâ essentiali ponitur formatum, & sublatâ tollitur.* Canon obtinet. 1 universaliter de forma materiali & ultimata ut & de forma immateriali in quantum talis, sive quoad actum informandi: nam licet anima rationalis possit per se subsistere absque corpore, quoad essentiam, ut est spiritus & anima; tamen quoad officium, & actum informandi, ut est forma semper informat, usque dum dissolvatur compositum, & tum definit esse sub notione formæ. 2 sublatâ parte principali, ut capite, corde, aut hepate, tollitur formatum; sed hoc fit tantùm per accidens, quia his sublatis forma deserit materiam tanquam ruinosum domicilium, ideoque principaliter & ultimò formatum tollitur ad separationem formæ. *Axiomata à loco formæ.*

2 *Forma dat esse & operationes consequentes.* Dat esse, scil. formato seu composito (non autem materiæ, quæ semper præexistit quoad actum entitatis suæ; licet actum formalem habeat etiam à forma in composito) nam materiæ non tribuimus primas

in composito constituendo, sed formæ; quæ ideò dicitur *ratio quidditatis, ab Arist. lib. 2. Phys. cap. 3.* dat etiam *operationes*; nam est principium primum & principale cujusque actionis naturalis, & per se; licet qualitates suis principiis proxima & subordinata formæ instrumenta.

3. *Nulla forma per se producit aliquas actiones.* Canon est de actionibus transientibus, nam substantia nulla creata ita est per se operativa, quin eget aliquo instrumento per quod deferatur & applicetur ejus causalitas & operatio in distantem terminum suum: secus est in actionibus emanantibus, quæ nullo mediante à formis resultant.

4. *Unius rei est unica tantùm forma.* Canon est de forma ultima; nam plures formæ remotæ ad multiplicationem specierum subordinatarum sunt in omni specie infima, & individuo substantiali; sed una tantùm dat *esse* ultimum & completum; sic in *Socrate* sunt plures animæ, quarum ultima tantùm dat completam & perfectam individuationem; cæteræ (etsi in alio subjecto possint esse ultimæ, tamen) in *Socrate* non habent completam essentiam, sed ordinabilem ad ulterius complementum: & sunt ibi (ut elementa in mixto) realiter & integrè quoad essentiam; sed *materialiter*, & non sub ratione formarum ultimarum.

5. *Nulla forma substantialis est divisibilis per se.* Non in partes *graduales* extensivas, cum tota simul introducatur, & tota deperdatur ob defectum materiæ & quantitatis; sed de facto ratione materiæ & ex accidente, successivè informat & actuat, & successivè derelinquit materiam. Neque est divisibilis in partes *essentiales*, quia sic in infinitum esset forma formæ. Cæterùm extenditur & coangustatur (modo nobis incognito) ad extensionem & amissionem partium

partium integrantium seu materiæ.

6 *Ubi plures sunt formæ, ibi plures sunt essentiæ.* Canon est de formis ultimis, & non subordinatis, nisi una dicatur essentia generica, altera specifica.

CAPUT 7.

De loco Causati sive effecti.

DE loco *Causati* (ad quem reducuntur argumenta ab individuis ad speciem; à specie ad genus, & à definito ad definitionem) tria sunt investiganda. 1 quid sit. 2 quotuplex. 3 qui sint ejus Canones.

Causatum est quod à causa aliqua dependet & producitur. *Causatum quid.*

Unde Argumentum est *a loco causati*, quoties in Syllogismo probabili medius terminus est major extremi causatum, individuum, species vel definitum. *Locus causati.*

Causatum (sive effectus latissimè & per Synecdochen species sic dictus) dividi potest secundum divisionem causarum, in quibus explicandis quoniam prolixiores fuimus, hic brevitati studebimus. *Causatum* itaque est vel *effectum*, quod causatur ab efficiente, vel *destinatum*, quod à fine; vel *materiatum*, quod à materia; vel denique *formatum*, quod à forma causatur & producitur. *Causatum quotuplex.*

Specialis divisio causati petenda est à præcedenti subdivisione causarum: ut & ulterior omnis explicatio extremorum ab individuo ad speciem, & specie ad genus & differentiam, & a definito vel descripto, ad definitionem & descriptionem, petenda est à lib. 1. cap.

2, 3, 4. & lib. 2. Appendice de definitione.

(Canones de oco Causati.

Canones similiter à regulis causarum sunt petendi; quare paucos hîc tantùm proponemus, quos superiùs intactos in hunc locum conjecimus.

1 *Posito effectu causa ponitur.* Canon est de omni causa principali & necessaria; nam fallit de instrumentali, ut & de causa socia. Ponitur causa non semper quoad actum præsentiæ seu *existentiæ*, ita ut quousque effectus duret causa existeret; nam post obitum architecti non statim corruit ædificium; sed ponitur causa vel ut jam præsens, vel præsupponitur aliquando fuisse actu causans.

2 *Unius effectus est una tantùm causa.* Nempe principalis, & ejusdem generis, totalis, proxima, & demonstrans: ut eclipsis demonstratur de Luna, tantùm per tetram ex diametro oppositam lumini mutuato à Sole. Plures autem sunt subordinatæ causæ, & ejusdem generis, remotæ & universales unius effectûs; ut & omnes causæ coordinatæ frequenter occurrunt; quod videre est in generatione *Socratis*, ubi concurrunt Sol & homo *effectivè*, materia & forma *constitutivè*, conservatio speciei motivè, seu *finaliter*.

3 *Effectus non superat virtutem causæ.* Nam cùm eâ ratione dicitur effectus quatenus recipit influxum causæ, necesse est ut virtus illa impressa sit modo eminentiori in ipso fonte, ubi vel inest formaliter, vel effectivè. Loquimur autem de causa principali & propria; nam de minus principali, instrumentali, & causis per Accidens, plerumque fallit hæc regula.

4 *Quod efficit tale est magis tale.* Si his cautelis utamur, veritatem obtinebit hæc regula, 1. ut causæ sint per se, non per accidens: nam non sequitur, privatio est causa entis, ergo est magis ens. 2. ut

causa

causa & effectus conveniant in eadem similitudine qualitatis: nam fallit si idem tale non insit utrique termino formaliter, & non tantùm effective; non enim sequitur vinum efficit ebrium, *ergo* vinum est magis ebrium. 3 *Si causa & effectus admittant gradus intensionis.* Nam non sequitur filius est homo propter patrem, *ergo* pater est magis homo.

5 *Ubicunque est materiatum ibi est materia, & ubicunque est formatum consimiliter ibi est forma.* Sunt enim materia & forma duo principia constitutiva, sine quibus constitutum esse non potest. Et è contrà tenet regula; nam non daretur materia prima secundum essentiam suam absolutam, si nullum esset actu existens materiatum sive compositum.

Pro explicatione axiomatum ab individuo ad speciem, à specie ad genus & differentiam, à definito & descripto ad definitionem & descriptionem, Consule lib. 1. cap. 2, 3, 4, & lib. 2. Appendicem de Definitione.

CAPUT 8.

De loco Subiecti.

DE loco *Subiecti* (ad quem principia seu axiomata possint referri) tria sunt inspicienda. 1 quid sit Subjectum. 2 quotuplex. 3 quæ sint ejus Canones.

Subiectum quid.

Subjectum est cui aliquid adjungitur.

Locus à Subiecto.

Argumentum est à *loco Subiecti*, quoties medius terminus in Syllogismo probabili est subiectum,

Vel principium majoris extremi.

Subiectum quotuplex.

Subjectum *prædicationis* hic non attingimus; & de Subjecto *Informationis* aut *Denominationis* parùm dicturi, hanc divisionem sequentem prosequimur. Subiectum aliud est 1 *Occupationis*, quod alias dicitur *Objectum* circa quod versamur, 2 *Receptionis*, quod adjunctum recipit: estque duplex, 1 *Inhæsionis*, quod in se recipit adjunctum: estque vel *Adæquatum*, cui primò inest adjunctum: vel *Inadæquatum*, & remotum; cui adjunctum non nisi alio mediante competit. 2 *Adhæsionis*, quod adjunctum extrinsecus ad se recipit: quorum utrunque reperitur tàm in serie substantiæ, quàm accidentium; atque *hic* dicitur subjectum *ultimatum*: *illic* autem *ultimum*.

Canones de loco Subjecti.

De Subiecto isti *Canones* sunt observandi.

1 *Posito Subiecto ponitur adjunctum.* Quod intelligendum est tantùm de accidente inseparabiliter & necessariò inhærente; sive sit accidens proprium, seu commune, modo sit inseparabile: ut, est homo, ergo est risibilis: est cygnus, ergo est albus.

2 *Sublato Subiecto tollitur Adjunctum.* Regula generalis est de omni subjecto *Inhæsionis*, modo sit adæquatum & primum; fallit autem in subiecto *Denominationis* & inadæquato: ut, quia *Socrates* est coloratus non ideo sequitur quòd destructo *Socrate* destruitur coloratum, quia *Socrates* non est subiectum adequatum coloris, sed vel corpus mixtum, vel corpus simplex perspicuum, terminatum.

3 *Subiectum denominatur à suo accidente.* Scil. vel secundum formalem *inhærentiam*, vel secundum extrinsecam *adhærentiam* & *imputationem*. Axioma non est de omnibus accidentibus intentionalibus, seu *spiritualibus*, qualia sunt species objecti sensibilis & intelligibilis, nam nullus sensus denominatur

ab

ab objecto suo secundum illud nomen: ut à colore recepto oculus non dicitur coloratus, sed actuatus tantùm, & à specie coloris intelligibili intellectus tantùm denominatur actuatus, non coloratus: sed ab eodem colore spiritali paries vel pannus dicitur coloratus, viridis, albus, ruber: &c. regula autem est generalis de omni accidente reali hisce adhibitis cautelis. 1 ut insit satis *intensè*, & sub justo gradu: nam quod unum tantùm habet gradum caloris, & septem frigoris, non potest dici calidum. 2 ut insit satis *extensè*, (i.) in pluribus partibus subiecti, vel saltem in unâ principali, & maximè notabili: ut Æthiops non dicitur albus propter dentes: sed nasi simitas, distortio oculorum, titubantia linguæ denominant subiectum taliter affectum, aut notatum. 3 ut insit satis *protensè*, seu satis diu: nam passio subitanea non denominat, nisi tantùm inchoativè aut dispositivè: hanc autem conditionem intelligo de iis accidentibus quæ *diutiùs inesse* poterunt, non de iis quorum natura est in *fluxu*, nam sonus insistatim evanescit, denominat tamen suum subiectum sonans vel sonorum.

4 *Nullum subiectum prædicatur essentialiter de suo Adjuncto.* Non loquimur de adjunctis transcendentalibus (nam attributa Dei sunt ipse Deus) sed de prædicamentalibus, & de rectâ & formali prædicatione in abstracto. Nam licet dicatur, talis est extremitas, non est ita formaliter, sed tantùm fundamentaliter & subiectivè.

5 *Omne subiectum nudari debet eâ re quam recipit.* Canon est præcipuè de organo facultatis sensitivæ, ratione obiecti sensibilis: quod enim intùs est existens prohibet alienum: loquimur autem de accidente numerico quod prohibet aliud numero non distinctum eidem subiecto actu simultaneo inesse

ut anima non potest eandem numero disciplinam addiscere cujus præsentem habet possessionem; sed bene potest recipere eandem specie disciplinam.

CAPUT 9.

De loco Adjuncti.

DE loco Adjuncti, tria hæc sunt tradenda. 1 quid sit Adjunctum. 2 quotuplex. 3 quæ sint ejus axiomata.

Adiunctũ quid. Adjunctum est cui aliquid subjicitur.

Locus ab Adiuncto. Argumentum est à loco Adjuncti, cum in Syllogismo probabili medius terminus est adjunctum seu accidens majoris extremi.

Adiunctũ quotuplex. Adjunctum est duplex. 1 Occupatum, quod occupatur ab objecto; sic sensus est adjunctum rei sensibilis, intellectus intelligibilis. 2 Receptum, quod recipitur; vel, Ad subiectum; sic habitus extrinsecus applicatur ad habituatum; vel, In subiectum: ut color in corpus. Istique duplex. 1 accidens Proprium, quod necessario subiectum comitatur. 2 Commune, quod contingenter tantum subiecto inest.

Canones de loco Adjuncti. De Adjuncto isti Canones sunt tenendi. 1 Quicunque convenit proprium accidens, eidem competit ejus subiectum. Modo subjectum ejus sit adæquatum; nam fallit 1 si subiectum sit inadæquatum: ut non sequitur quia calor (cum sit vel proprium, vel accidens inseparabile ignis) in mixto reperitur, ergo mixtum diceretur ignis; quia mixtum est inadæquatum subiectum caloris. 2 fallit, si proprium unius tribuatur alteri secundum analogiam aut metaphoram: ut, non sequitur stomachus esuri-

ens latrat, ergò est canis; quia latratus stomacho tribuitur tantum figuratè.

2 *Accidens proprium non est separabile à suo subiecto*, scil. quoad realem & actualem ablationem, sed mentali abstractione possumus concipere naturam subjecti, non considerantes necessaria ipsius adjuncta: intelligimus autem proprium, non quatenus in actum exit, sed ut est in potestate ad actum, nam homo potest esse non actu ridens, sed non potest esse non risibilis, quia ex necessitate consequitur hominis essentiam, ut taliter se habeat.

3 *Proprium accidens est incommunicabile speciei realiter contradistinctæ aut coordinatæ*, Nam omne proprium cujusque speciei subalternæ, aut summi generis, attribuitur omnibus eorum subjectis, unde habet nomen prædicabilis, sed nunquam competit subjectis suo primo subjecto coordinatis. Quod tam nomen proprii indicat, quàm frequens ipsius apud omnes usus: idem enim indicat proprii officium, quod est (respectu nostrum) res à rebus palam distinguere, nam hoc optimè præstare potest, quoniam à speciei principiis immediatè profluit.

4 *Nullum implicat contradictionem subiectum posse concipi sub opposito accidentis communis*. Loquimur de conceptu composito: ut, possumus concipere hominem sanum aut morbidum, salvâ ejus essentia: atq; in hoc distat accidens commune à proprio, quod adeò indissolubiliter subjecto inest, ut negatio sui esset negatio subjecti.

5 *Accidens commune potest inesse subiectis specificè distinctis*. Ut candor est in charta & pariete: tenet autem regula tantùm de accidente communi *Universali*: nam accidens particulare non potest inesse in subjectis diversis: quia naturam numericam mutuatur à subjecto suo numerico, à quo impossibile est

vel

vel ad momentum migrare, interim ut maneat accidens, aut ens aliquod subsistens.

Plura huius loci axiomata legas lib. 1. cap. 5. & 6. de Proprio & Accidente.

Atque ad hæc duo loca de Subiecto & adiuncto non incommodè possint referri omnia argumenta ab Antecedentibus ad Consequentia, & è contrà: quæ omnia consultò in locum Signi coniecimus.

CAP. 10.

De loco Dissentaneorum.

DE *loco Dissentaneorum* tria sunt tradenda. 1 quid sit dissentaneum. 2 quotuplex. 3 qui sint ejus Gaiones.

Dissentaneum quid. Locus à Dissentaneis.

Dissentaneum est quodcunque ab altero quovis modo differt.

Argumentum est à *loco Dissentaneorum*, quoties in Syllogismo probabili medius terminus distat à majori: ut si medius terminus opponatur majori extremo *Disparatè*, est argumentum à *Disparato*: si *Contrariè*, est argumentum à *Contrario*, & sic in reliquis.

Dissentaneum quotuplex.

Omne Dissentaneum est vel Diversum vel Oppositum: Oppositum est vel Disparatum vel Contrarium: Contrarium est duplex, vel in Dividendo tantum, vel in Inhærendo & Dividendo simul: quod sub se complectitur quatuor membra. 1 Adversa (quæ proprie & simpliciter dicuntur Contraria:) eáque sunt vel Immediata, vel mediata. 2 Relativa. 3 Privativa. 4 Contradictoria: *quorum omnium Definitiones, vid. lib. 1. cap. 4. de Oppositis.*

De

De singulis isti Canones sunt tenendi.

1 *Dissentanea de se invicem non dicuntur.* Quod intelligendum est, 1 De prædicatione in abstracto: nam vera utrinque est hæc prædicatio in concreto, *quantum est corporeum, & corporeum est quantum.* Falsa autem in abstracto, sic, *corpus* (substantiale) *est quantitas*, aut è contrà. 2 Tenet de dissentaneis quæ non subordinantur in eadem serie; nam genera & species prædicantur in abstracto de individuis: ut, *Socrates est animal*, nisi intelligamus ultimam abstractionem, & tum in his etiam nunquam fallit regula: nam non dicitur *humanitas est animalitas*. 3 Tenet hæc regula de Diversè oppositis omnibus absque exceptione aliâ, quàm quæ hic exprimitur.

Axiomata de Dissentaneis.

2 *Oppositorum eadem est ratio.* Canon est de oppositis. 1 Quantum ad cognitionem, nam *virtus* meliùs cognoscitur per opposita ejus *vitia*: fallit autem quoad eorum essentias. 2 Eadem est ratio ex parte scientiæ: nam ad *Medicinam* spectat agere de *sanitate* & *ægritudine*: ad *Ethicam* de *virtutibus* & *vitiis*; sed de uno principaliter, & ex instituto, de altero tantùm occasionaliter, seu ad manifestationem sui oppositi. 3 Eadem est ratio, quantum ad subjectum, nam versantur semper circa idem subjectum, in quo (saltem successivè) inesse possunt, nisi alterum sit ei naturaliter inhærens, aut radicatum.

3 *Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur alterum.* Regula est intelligenda de numero *significationum*, non *suppositorum*; ut si unum oppositorum significet omnia vel duo æquivocè, tum alterum habebit tot significationes æquivocè: ut, si *album* propriè respiciat *colores*, impropriè verò *voces* & *verba*: ideò & *nigrum* propriè respicit tantùm *colores*, impropriè verò *voces*: sed non tenet regula

quantum

quantum ad numerum suppositorum: Nam Substantia & Accidens sunt opposita, est autem *unum Substantiæ* prædicamentum, *Accidentium* verò distincta *novem*: *Homo* & *Brutum* sunt opposita, sed *Homo* est infima species; *Brutum* autem plures sub se species continet.

4. *Disparatorum altero affirmato negatur alterum.* Nam si *homo* sit *prodigus* vel *avarus*, non est jam *liberalis*: tenet regula tum in relatione ad subjectum, cui non possunt simul convenire quâ talia, si sint sub eodem genere proximo, & respiciant idem tempus: tum etiam respectu mutuæ attributionis: in abstracto: nam licet prodigus alio tempore fiat liberalis: *prodigalitas* tamen nunquam est *liberalitas*, aut è contrà.

5. *Contraria juxta se posita magis elucescunt.* Nam mutuò se notificant & illustrant: sed ita, ut Canon præcipuè referatur ad *experimentalem*, sive *originalem* cognitionem: non autem ad scepticam & habitualem, nisi secundariò, *Sic ægritudinem* semel *expertus* meliùs semper æstimat *sanitatem*, pro qua tuenda vigilantior erit in posterùm. Sic post acerba comesta, vinum epotum dulcius videtur.

6. *Contraria non coëxistunt.* Regula est 1. de Coëxistentia *in eodem Subjecto*: nam necesse est ut uno posito, ponatur alterum in rerum naturâ, tametsi non in eodem Subjecto. 2. Valet de contrariis in *summo gradu*: nam possunt coëxistere in gradibus remissis, & mutuâ relatione ad mediocritatem redactis: tametsi non sic cohabitare possunt absque lucta, quâ continuatâ lite, tandem ipsum subjectum ad dissolutionem vergit. 3. Valet de *simultaneâ* existentia in gradu prædominanti, non autem de *successivâ*: nam possunt successivè inesse, modò

modò alterum non insit à natura

7 *Contrariorum Contrariæ sunt Consequentiæ.* Nam si *albedo visum disgregat, ergò nigredo eundem visum congregat & conservat.* Vera est regula, nisi de Contrario genus aut proprietas aliqua non prædicatur: nam non sequitur albedo est color & visibilis; ergò nigredo nec est color nec visibilis; quia *color* est genus, & *visibilitas* est affectio generica utriusque termini oppositi: scil. *Albedinis & nigredinis.* Si sint in eodem genere & gradu; namnon sequitur, quia mala opera damnant, idcò nostra bona opera justificent, tum quia differunt principio; *opera enim mala sunt verè nostra, bona autem sunt talia quæ data* prius quin discrepant perfectione & gradu; opera namque mala sunt *perfectè talia*; bonitas autem nostra est tantùm *inchoata.*

8 *Contrariorum si alterum non insit, necesse est alterum inesse in subjecto capaci.* Quod verum est de Contrariis immediatis, ut non est sapus, ergò sequitur quòd sit æger; ignis non est humidus & frigidus, ergò est calidus & siccus: fallit autem in contrariis mediatis, ut non sequitur, *rosa non est alba*, ergò *est nigra*, quia dantur alii colores medii. Fallit, ubi subjectum non est capax terminorum; nam non sequitur, quòd *lapis non videt*, ergò *est cæcus*, quia lapis est medium seu subjectum negationis utriusque termini.

9 *Oppositæ relativè nullum admittunt medium.* Loquimur de medio participationis; nam possunt habere medium subjecti & abnegationis, quale est *lapis* respectu *paternitatis & filiationis.*

10 *Relativè oppositorum uterque terminus est positivus: ut pater & filius;* Continentur enim sub contrariis affirmantibus, quæ in hoc differunt à contrariis negantibus, quòd in illis uterque terminus est positivus,

positivus; in his verò uno existente positivo, alter est vel negativus vel privativus.

11 *Privatio præsupponit habitum.* Canon est de privatione logica: Nam Physica carne, si quoad ejus actum negativum subsequatur habitum, seu formam præcedentem, dicit tamen aliquid positivum, scilicet, dispositionem in materia ad formam subsequentem: unde dicatur præcedere habitum. Ut *cæcus* non dicuntur ab ortu *cæci*, aut *infantes* ab utero *edentuli*, nisi tantùm negative: lumine autem & dentibus privantur, cùm semel oculorum & dentium usum habuerint, quo postea carent: unde valet ergò est mortuus, ergò semel vixit.

12 *A privatione ad habitum præcedentem non datur regressus.* Canon est de privatione Logica; nam à physica est ad habitum progressus, non autem est in illa aliquis regressus ad antecedentem formam: his adhibitis restrictionibus. 1 Si de *ordinario* modo loquamur, qui fit naturæ, vel artis viribus; nam miraculosè mortui resuscitantur in eadem natura, & persona numerica: 2 si sit *totalis privatio* tam actûs, quàm *potentiæ*; nam aër à tenebris semper recedit, nisi una cum actu lucis potentia receptiva lucis auferatur ab aëre, vel potentia productiva lucis à fonte, (i.) à Sole. 3 ut sit *idem numero* habitus. Nam seminis in terram injecti fit multiplicatio sub eadem specie seminis, sed idem numero corruptum semen non renascitur, sed est materia & radix unde cætera habent originem.

13 *Habitus & privatio sunt circa idem subjectum.* Ut cæcitas & visus circa oculum, nam manus non dicitur cæca, nec pes videns: Secundus axiomatis est, quod successivè & in *sensu diviso* eidem inesse possint, non autem simul & in *sensu composito* respiciant

spiciant idem subjectum. 2 Tenet regula de privantibus propriè & *philosophicè*, non *popularitèr* & metaphoricè sic dictis: nam sic piscis dicatur quidam, qui loquax: cùm tamen loquacitas & ejus privatio soli homini competant.

14 *Privatio per se nine ſt ens.* Nam *formaliter* significat *negationem* seu absentiam formæ dependitæ, quo respectu est simpliciter non ens; tamen *materialiter* seu subjectivè denotet *aptitudinem* & dispositionem in tali subjecto ad formam introducendam: atque sic, & consimiliter ex eventu, consequenter, & ratione effectuum per accidens, (scil. compositi producti) dicatur ens.

15 *Nulla privatio est per se sensibilis ullo sensu.* Nam in quantum talis, est non ens, quod nec per se nec *movet* sensum nec intellectum, sed solùm per discursum, & obliquè. Tenet regula. 1 si privatio sit *pura*, nam frigus non est simpliciter privatio caloris, & neque nigredo albedinis, tenebræ lucis, sed sunt species ignobiliores objecti sensibilis habentes in se entitatem positivam, utcunque debilem, & minùs motivam sensûs, frigus enim & nigredo habent suas causas positivas: tenebræ autem si abstractè & purè considerentur, sunt privatio lucis, atque sic non movent visum: sin moveant, tum sumuntur tenebræ pro medio tenebroso quadamtenus, non autem simpliciter absque lumine, atque sic sunt ens positivum. 2 Siloquamur de objecto per se sensûs, nam per accidens privatio incurrit in sensum: non audimus silentium, sed quia nihil audimus, colligimus esse silentium.

16 *Contradictoria nullum admittunt medium*: utpote. 1 non medium *rei*, *formæ*, seu *participationis*: nam inter ens & non ens simpliciter nullum talc datur medium, siquidem unumquodque vel est, vel

cum

non est, licèt sit perfectam nunc, postmodùm verò imbecillius. 2 Non medium *Subiecti* seu *abnegationis*, propter prædictas rationes. 3 Non *positionis*, sive *loci*. 4 Non *perfectionis*, seu virtutis. 5 Medium denique *Assecutionis*, seu in finem ordinabile, & destinabile parum vel nihil ad hunc locum conducunt. Tenet regula infallibiliter, si alterum existente positivo, alter terminus sit purè negans, non privans tantùm, aut infinitans; nam non ens hæc tria denotare potest pro sophisticè disputantis arbitrio.

17. *Contradictoria est oppositionum maxima.* Non tantùm ratione quantitatis aut qualitatis, sed respectu elongationis & distantiæ inter suos terminos; nam in nullo genere conveniunt eius termini, neque medium aliquod admittunt, sed alter terminorum simpliciter negat omne ens positivum, quod in cæteris oppositis non occurrit.

18 *Impossibile est contradictoria de eodem prædicari.* Sive sint expressa: ut, *hominem esse & non esse*: sive implicita in Adiecto: ut, *esse corpus, & non habere quantitatem definitam loco, tempore*, & reliquis conditionibus individui; valet axioma, si referantur *ad idem subiectum* seu terminum; nam privatio dicit tam ens, quàm non ens; sed diverso respectu: nam *formaliter* non est ens, in quantum est carentia formæ quæ prius inerat; *materialiter* autem & subiectivè est ens, in quantum dicit dispositionem in subiecto ad formam subsequentem. 2 Si respiciant *idem tempus*: nam *Socrates* potest esse doctus & indoctus habitâ ratione temporis & ætatis suæ. 3 Si sint *pura*: nam lippus est videns & non videns: quæ loquendi formula non negat potentiam visivam, & actum videndi lippo competere, debilem tamen esse & imperfectam insinuat:

ideóque

ideòque nulla est contradictio inter hos terminos, quia uterque est positivus, licèt imperfectus.

Hæc de Dissentaneis dixisse satis erit.

CAPUT 7.

De Comparatis.

DE *Comparatis* tria sunt tradenda. 1 quid sint. 2 quomplicia. 3 quæ sint Canones comparatorum.

Comparata sunt quorum unum cum alio confertur, in Convenientia aut Discrepantia. *Comparata quid.*

Argumentum est *à loco Comparatorum*, quotiès in Syllogismo probabili, altera pars majoris propositionis comparatur cum altera, in Convenientiâ vel Discrepantiâ. *Locus à Comparatis.*

Comparatio omnis cernitur vel in *Convenientia* seu Identitate, vel in *Disconvenientia* seu Diversitate. 1 *Convenientia* est congruentia duorum terminorum in aliquo tertio: estque vel in Qualitate, & dicitur *Similitudo*, quæ est Comparatorum eadem Qualitas: vel in Quantitate: & dicitur *Paritas* seu Æqualitas, quæ est Comparatorum eadem Quantitas. *Disconvenientia*, est Discrepantia duorum terminorum in aliquo tertio: estque vel in Qualitate, & appellatur *Dissimilitudo*, quæ est comparatorum diversa Qualitas: vel in Quantitate, & dicitur *Imparitas* seu Inæqualitas, quæ est comparatorum diversa Quantitas: estque duplex, 1 *Major*, ubi quantitas excedit. 2 *Minor*, ubi quantitas exceditur. *Comparatio quotuplex.*

Et ad has classes referri possunt Analogiæ, Parabolæ, & exempla ab Historicis vel aliundè petita.

Canones proponendo, incipimus 1 à Comparatis in genere, 2 à Simili & Dissimili. 3 à Pari & Impari, tam Majori quam Minori.

De Comparatis Axiomata.

Canones Comparatorum in Genere, ut & de Identitate & Diversitate.

1 *Res quæ comparantur, possunt esse diversorum generum & prædicamentorum*: quod in his videre est: *equus est major cane, lapis est durior capite, substantia est prior accidente, prima causa est præstantior & potentior secundis.*

2 *Comparatio omnis propriè est in infima specie.* Nam non quæritur an homo sit magis coloratus quàm lapis, sed an sit magis albus vel niger: Canon est: 1 De *tertio* illo *in quo* comparantur, non de rebus & terminis comparatis. 2 *De virtuali & formali* comparatione, non de materiali, & prout verba sonant. Nam hæc est vera comparatio, *corvum est nigrior cygno albo*, ubi tertium in quo comparantur videtur esse (quoad externam faciem) duplex membrum coloris in genere: sed si sensum ipsum perpendamus, facilè constabit in una specie hanc comparationem fundari, sc. in *intentione*: nam hæc comparatio æquivalet priori: *nigredo in corvo est intentior albedine in cygno*: ideòque hæc collatio refertur tantùm ad intentionem graduum albedinis & nigredinis.

3 *Inter Æquivoca non est legitima comparatio*: quia in his non loquimur *ad idem*, sed æquivocè: & ineptum esset dicere, *gladium* esse *acutiorem* ultimâ *chordâ* lyræ, aut *morbo*, aut *vino*, &c. quæ omnia dicuntur acuta, sed ferrum & acies propriè & philosophicè, cætera tantùm figuratè & Æquivocè, vel saltem Analogicè.

De

De Identitate & Diversitate plurima sunt apud Arist. axiomata Top. lib. 7. cap. 1. quem consulas; nos hic unicum hoc proponemus.

1 *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Regula tenet 1 quoad *mensuram* præsertim, atque ita sunt eadem h. e. sunt Æqualia, seu ejusdem proportionis inter se: ut si duo panni conveniant in mensura ulnæ, tum inter se sunt æquales, quantum ad hanc mensuram & extensionem secundum longitudinem; licet non quoad præstantiam & dignitatem materiæ & operis. 2 quoad *rem & rationem habito semper respectu ad illud tertium* in quo conveniunt; ut, *Socrates & Plato* in tantum inter se conveniunt naturâ & proprietatibus; in quantum uterque convenit cum *Aristotele* in naturâ & proprietatibus.

Sequuntur Canones de Simili & Dissimili.

1 *Similium Similis est ratio.* valet regula, in quantum sunt similia: ut, si tranquillitas mentis sit similis tranquillitati aëris; & hæc est quies, tum & illa est quies.

2 *Quod non affirmatur de uno similium non affirmatur de altero.* ut, quia nauta in navi non debet quiescere; segnescere non debet Magistratus in Republica: nam utriusque similis est ratio, & æquale periculum.

3 *Nullum simile est idem.* Regula est de Identitate *essentiæ*: nam conveniunt in aliquo tertio, scil. in similitudine hujus vel illius Qualitatis. Huic affines sunt isti Canones: *Omne simile claudicat. Nullum simile currit quatuor pedibus. Omne simile est dissimile.*

4 *Simile non agit in simile* Regula tenet cum his restrictionibus conjunctim sumptis. 1 si sint *sub eâdem specie infimâ*: nam calor & frigus sunt similia in tertia specie Qualitatis: mutuò tamen agunt & patiuntur;

patiuntur: sed duo calida non invicem agunt. 2 si sint *similes gradu*; nam calor intensior in octavo gradu intendit calorem in inferiori gradu, sed calor in quarto gradu non auget in calorem in quarto gradu. 3 si sint *eadem virtute*; nam si vis caloris magis imbuatur, tum tandem erit, ut in ferro ignito, & potest intendere calorem in stuppa, atque dum accendatur, & in flammam erumpat: majorem namque activitatem mutuatur calor a tali subiecto, quo diutius propter densitatem conservatur, & unitur.

5 *Similitudo Parabolica organum est ad docendum accommodatissimum.* Regula est de exotica & populari formula; nam vulgus plerumque sensibilibus argumentis suadetur, quia sua quæ a simili ducuntur: ideoque similia sunt ad persuadendum utilissima, ad probandum minùs conferunt: Nam in *Acroamatico* seu dogmatico docendi genere locum vix obtinent, nisi sint *splendida & acuta*.

6 *Dissimilibus dissimilia conveniunt*: ut, quia animæ hominum & brutorum tantum inter se distant, probabile est hanc mortalem esse; illam fore immortalem.

Canones de Pari & Impari, Maiori & Minori.

Nota. *Ubi prius notandum omnia axiomata de simili & dissimili, præter quartum, his absque incommodo posse attribui; quæ iterum recitare supersedemus, & ad magis propria festinamus.*

1 *Parium exactissima est conventientia.* Nam non dicuntur paria, quorum alterum magis est extensum possunt tamen dici similia, etiam si magna sit graduum extensivorum dissimilitudo & distantia. Regula tenet de paribus propriè sic dictis in Quantitate: non autem adeò exacta est convenientia, si ad cætera prædicamenta extendatur.

2 *Parium*

3 *Parium par est ratio.* valet regula in quantum paria sunt: ut, par est ratio quòd stellæ ambulent, natent, repunt, volant: sed non ambulant, non natant, aut repunt, ergo improbabile est quòd volant.

4 *Omnis Imparitas est in Majoritate vel Minoritate.* idque tum respectu *rei* seu Quantitatis, propriè loquendo: tum propriè respectu, seu *probabilitatis*; unde quod est magis vel minus tale, communiter appellatur par vel impar.

5 *Argumenta omnia à majori ad minus, & à magis ad minùs, certiùs concludunt Negativè.* ut, si fortiores oneri imposito succumbant, multò minùs infantes idem onus sustinebunt. Major ratio est cur homicidæ absolventur, quàm Regicidæ; at illi morte mulctantur, ergo & isti non sunt absolvendi, sed tormentis & lentâ morte puniendi.

6 *A Majori ad Minus sequitur Argumentum Affirmativè.* tenet regula 1 De potentiis subordinatis in uno aliquo subiecto, non de contradistinctis in diversis subiectis: ut rectè sequitur, potest discurrere, ergo potest irasci, concupiscere, loco moveri, vegetare, &c. nam potentia ratiocinandi aut eminenter includit, vel saltem præsupponit cæteras omnes facultates subordinatas, eidem subiecto secum inesse: sed non sequitur, potest formaliter & naturaliter discurrere, ergo, potest naturaliter & formaliter ruminare, quod potest canùm par imitatione. 2 De iis quæ arguunt perfectionem: nam non sequitur, quia viri possunt fortiter membra sua sistere, ergo magis quàm juvenes possunt eadem quocunque velunt flectere: hoc enim arguit imperfectionem & debilitatem membrorum.

6 *Argumenta omnia à Minori ad Majus, & omnia ad magis, evidentiùs concludunt Affirmativè.* in

minùs probabile est matrem diligere nutricem, quàm parentes filium, aut diligi nutricem, ergo multo magis diligit hæreditatem filium, minùs verisimile est civitatem alteri posse exercitum, quàm Rempublicam; at civitas sæpe alit exercitum alienum, ergo multo magis Respublica hoc efficiat.

Nota. *Ad hunc classem sectantur omnia axiomata de præstantia et dignitate entium, quorum ipsissima, sed nec inutile nec injucundum colligas messem apud Aristot. Top. lib. 2. cap. 2. 3. 4. ad quam brevitatis ergò, lectores sunt remittendi. Vide etiam Lib. de comparatis, dignitate, &c.*

CAP. XXI.

De loco Coniugatorum.

DE Coniugatis hæc tria sunt declaranda, quid sint, quotuplicia, & quæ sint Coniugatorum Canones.

Coniugata sunt nomina cognata vocis & significationis.

Argumentum est à *loco Coniugatorum*, quoties in Syllogismo probabili alterum coniugatum in maiori propositione est subiectum maioris termini ut, qui iustè agit est iustus.

Coniugata alia sunt *nominalia* tantùm, ut somnolentus & somnus: alia nuda, ut doctrina & literatus: alia sunt *Res & Vocis simul*, (de quibus præsens sermo est) ut comprehendunt sub se Deum, Angelum, Animam, Cælum, Diem, Virtutem, Iustum, Iustitiam, Iustè, Iustitiam, Iustitiam, Iustitiam

vel *Substantiva*; ubi alterum est nomen Substantivum abstractum à Subiecto: ut, *iustitia, iustus*: vel *Adiectiva*; ubi utrumque est Demonstrativum, sive concretum, quod denotat formam in abstracto cum connotatione alterius: ut, *iustus, iustè, &c.*

Canones de Coniugatis.

1 *Cui tribuitur unum coniugatorum eidem tribuitur & alterum*: ut, fortiter egit, ergo est fortis; valet axioma 1 In Coniugatis quoad *significationem*, non quoad vocem tantùm, nam non sequitur, *somno correptus est*, ergo *est somnolentus*. 2 In Coniugatis *eiusdem qualificationis* & naturæ: ut, non sequitur, *iustum egit*, ergo, *est iustus*: nam ab actu unico nemo denominatur habituatus, quoniam ad habitum generandum requiritur talis qualificatio actionis, ut agatur *scienter, volenter, constanter*, & propter *bonum finem*. *Axiomata Coniugatorum.*

3 *Si unum coniugatorum de uno dicatur, alterum de altero dicetur*: ut, si album sit coloratum, tum albedo est color. valet axioma 1 *à concretis* ad abstracta *negativè* semper: ut, si visibile non est audibile, tum visus non est auditus. 2 Ab *abstractis* ad concreta *affirmativè*: ut, si iustitia sit virtus, tum iustus est virtuosus. 3 In *prædicatis essentialibus & per se*, namque tum mutua est consecutio ab abstractis ad concreta, & contrà, tam affirmativè quàm negativè: ut, si album sit coloratum, albedo est color; & si albedo sit color, tum album est coloratum: Non sic autem in prædicatis *per Accidens*: nam si contingat coloratum esse sapidum; non inde sequitur, contingit colorem esse saporem. 4 In Coniugatis quoad *significationem*: nam non sequitur, quia somnolentus est malus aut vitiosus; ideò somnus esset malum aliquod in se, aut vitium. 5 In *Abstractis Physicis & Mathematicis*, seu ulti-

 matis,

matis, non autem in *Metaphysicis* & ultimis: ut, non sequitur, quia homo est animal, ergo humanitas esset animalitas: quia istæ sunt ultimæ abstractiones.

3 *Abstracta & concreta non prædicantur de se invicem.* valet regula generaliter de prædicatione in recto casu: nam non dicitur coloratum est color, sed habens colorem: nec dicitur rationale est rationalitas, sed habens rationalitatem: quia tametsi re & essentiâ conveniant, differunt tamen modo prædicandi.

4 *Conjugata se consequuntur in nobilitate.* ut, si Theologia sit dignior Medicina, Theologus est præstantior Medico: valet regula, *si cætera omnia sint paria*: nam non sequitur, quia nobilitas est præstantior rusticitate, ergo nam nobilis semper est præstantior rustico: nam contingere potest, nobili stemmate natum, degenerare à parentibus, & tandem sordidè rusticari.

Nota. *Hic locus absque ullo incommodo referri potuit ad locum Dissentaneorum, ut & notatio nominis: de quâ seorsim perspicuitatis gratiâ Canones subsequentes proponemus.*

Canones, de notatione nominis. 1 *Cui convenit notatio nominis verissimile est ei nomen convenire.* & è contra: valet axioma: si notatio sit desumpta ex rei naturâ aut proprietate, & non tantùm ex usu vulgari, aut casu sit imposita: ut, si sit amator sapientiæ, tum est Philosophus. 2 Si vera notatio accipiatur vero modo: ut, Tutor dicitur à tuendo pupillos, non quod actu hoc semper efficit, sed quod de jure semper tueri eos debeat. 3 Si non sit nimis longè petita: nam vix sequitur, est Magister, ergo aliis per & magis scit. 4 Si mos idem remaneat, qui notationem nomini imposuit; nam non sequitur, prandium est, ergo nihil apponitur præter perennias reliquias, quia

mos iste jam inolevit, vesperi lautius cœnare, & fragmenta in crastinam parsimoniam reservare. 3 Si propriè & non figuratè sumatur: nam non sequitur, quicquid dicitur *Petra* illud *pedibus teratur*: obstante Romano Pontifice, *petra sum*, sed *pede terens*, & conculcans Imperatorum colla.

2 *In omni notatione seu Etymologiâ sistendum est in aliquo primitivo*: ut, dicitur amaritudo ab amaro, amarum à mari, mare ab *Hebræo marah*; ubi sistendum est. Nam ulteriùs progredi, esset in circulo sudare, & in termino non acquiescere.

מרה

3 *Nomen & Notatio ab eadem Dialecto sunt ducenda*. Tenet regula tantùm de vera Etymologia, non de qualibet allusione seu Analogiâ: ut non verè dicitur *Propheta* à procul fando, sed à *præfando*, juxta verum Etymon à πρὸ ante, & φῆμι dico. Corruunt hinc ridicula Scholasticorum insomnia ab ignorantia linguarum procreata; qualia sunt: Symbolum à σὺν con, & bolus; quòd unusquisque in cœtu suum bolum seu frustulum seorsim sit sumpturus, &c. 2 Si nomen sit simplex & non compositum ex duplici lingua: Nam rectè dicitur *Britannia, regio Pictorum*: à *Græco* τανία i. regio; *Britonico Brith*, i. depictum: nam incolæ solebant corpora glasto depingere, unde *Britones* dicti; quod observantes *Græci* prædones & Mercatores, ad *Brith*, τανία addiderunt. Par est ratio de *Mauritania, Aquitania, Lusitania*: Quæ, & similia invenies apud fidissimam antiquitatis columnam. *Guil. Cambdenum*, in nomine *Britanniæ*.

4 *Vera omnis Etymologia sumenda est ex rei causis, effectis proprietatibus, obiecto, & opposito*: ut, à fovendo dicitur Focus: à floribus, Flora: à bello, Bellona, Lucus per ἀντίφρασιν, quia minime lucidus. Parca, quia non parcet. Ludus, quia procul à

ludo

ludo. Nam locum hîc non habet illud axioma, (*Denominatio sumitur à potiori:*) quia non respicit nominis primam notationem, sed rei diversa prædicata.

5. *Allusio non curat nominis originem, sed explicat ejus significationem per æquipollens vel συνωνυμίαν*; ut, pro oculo legitur Cilumbra, pro terra recens inventa, America, &c. Hîc locum habent circumlocutiones & descriptiones, à quibus arguere licet, observatis limitationibus in primo Canone propositis.

Hæc de Conjugatis, & de Nominis Etymo.

CAPUT 13.

De loco à Distributione.

DE *Distributione* seu divisione hæc tria fusiùs sunt tradita. *lib 2. cap. ult.* 1 quid sit. 2 quotuplex. 3 quæ sunt ejus regulæ generales: ideóque hîc velut in typo summatim reponentur, ut ad Canones specialiores explicandos properè accedamus.

Distributio quid. *Distributio* est totius in suas partes divisio.

Locus à Distributione. Argumentum est à Distributo seu diviso ad membra dividentia, quoties medius terminus est divisum, membra dividentia sunt majus extremum in Syllogismo probabili. Contrà, est argumentum à membris dividentibus ad divisum, quoties membra dividentia sunt medius terminus, divisum verò majus extremum.

Distributio quotuplex. Distributio alia est *Vocis* in suas significationes: alia *Totius* in suas partes. *Totum* autem est vel *Aggregatum*, éstque quintuplex, *ut suprà lib. 2. cap. ult.* vel *Simplex*: de quo solùm hîc agemus, éstque triplex.

1 *Essentiale*

1. *Essentiale*, 2. *Universale*, 3. *Integrale*, atque his tribus, tres *partes* correspondent. 1. *Essentialis*, 2. *Subjectiva*, 3. *Integralis*.

Canones de Toto & partibus Essentialibus. *Canones totius, & partium.*

1 *Partes sunt priores Toto.* Valet hoc axioma, 1 Quoad ordinem *naturæ*; nam Totum est quid dependens & constitutum à partibus; ideóque & his posterius; sed *non* tenet de prioritate *Temporis*, nam simul tempore forma & compositum comproducuntur. *Nec* de prioritate *perfectionis*; nam totum essentiale in se habet omnes perfectiones suarum partium, & quid amplius. 2 Quoad ordinem *doctrinæ* & *cognitionis*; nam literæ sunt prius addiscendæ Syllabis; præcognoscendum quid sit *Animal rationale*, antequam constet quid sit *homo*; loquimur autem de ordine *Compositivo*, non Resoluti o; & de cognitione *confusa*, non distincta; déq; *originali*, non habituali. Atque hæc regula tenet de Toto integrali; & partibus ejus principalibus; adhibitis supradictis restrictionibus.

2 *Posito toto essentiali, ponuntur omnes ejus partes essentiales*: ut, posito homine ponuntur omnia superiora sese constituentia, tam genera quàm differentiæ. Et, *positis partibus essentialibus, ponitur totum essentiale*. Valet regula, de partibus quantùm ad actum constituendi; nam quoad essentiam materia manet post Totius dissolutionem; & etiam *forma*, si sit immaterialis, qualis est sola hominis forma.

3 *Sublatâ alterutrâ parte essentiali, tollitur totum*. Regula est, de illo toto ad cujus constitutionem illa pars erat immediata & proxima; nam licèt animâ sublatâ, totum desinit esse vivens, non tamen desinit esse corpus; ideóque remanet adhuc totum essentiale, sed non idem totum, quod erat ante decessum animæ.

4 Cui-

4 *Cuicunque totum seu divisum essentiale convenit, vel non convenit; eidem omnes eius partes essentiales conveniunt, vel non conveniunt*: & contra, *Cuicunque partes tribuuntur, eidem essentiale totum seu divisum tribuitur, vel non tribuitur*. Canon est de partibus quæ proximè constituunt totum: nam genus & differentia generica sunt partes essentiales remotæ speciei infimæ; prædicantur tamen de iis, de quibus Species non prædicatur: ut, Substantia & Corporeum, sunt partes hominis. Sed conveniunt iis, quibus homo non convenit, nisi considerentur secundum ultimam restrictionem & determinationem ad hominem.

5 *Nulla pars essentialis* (quâ talis) *prædicatur de suo toto*. Nam in quantum pars, est quid incompletum, se, ordinabile ad compositi complementum. Unde *Aristot. lib. 4. Top. cap. 5. text. 6.* subinfert, corpus non posse esse genus animalis, quia est pars. Loquimur autem de corpore restricto & ita determinato ad animal, ut sic ejus materia proxima; non de corpore indeterminato, ut est totum universale: nam sic est genus animalis. Valet Axioma de prædicatione in recto casu, & in abstracto, fallit in obliquo: ut falsò dicitur homo est anima; sed rectè dicitur, homo habet animam. 2 Fallit in concreto, nam verè dici potest, homo est animatus.

Nota. *Canones de Toto universali, & partibus eius Subiectivis, iidem planè sunt cum his, qui traduntur de Genere & Specie lib. 1. cap. 2. & 3. idcircò duos tantù hîc subiungemus.*

1 *Cuicunque convenit Totum universale, sive Genus divisum, eidem convenit alterum vel utrumque eius membrum dividens; & cui genus non convenit, eidem nullum membrum eius convenire potest.*

Canon

Canon est de membris speciei perfectis & completis. Nam vera est hæc prædicatio, embryo est animal, sed nondum sequitur, quòd embryo est actu homo vel brutum: quia est in esse tantùm incoatæ, & tendenti ad perfectionem specificam, & numericam. Idem dicendum est de exhalationibus è terra vel aquâ vi caloris evaporatis, priusquam actu constituant impressiones, seu meteora, calida, vel frigida.

Cui convenit ullum membrum Divisi seu Totius universalis, eidem convenit divisum seu genus, & cui nullum membrum convenit, eidem nec convenit ipsum genus. Regula tenet universaliter affirmativè: ut, est homo, ergò est animal: valet enim negativè, si membra conjunctim sumantur: ut, nec est homo nec brutum, ergò non est animal. Si membra sint species completa & perfecta, ut supra. Nam embryo nec est perfectus homo nec brutum, tamen si sit verum animal.

Canones de toto integrali, & eius partibus.

Posito Toto integrali, seu diviso, & unitatibus, ponuntur eius partes, & sublato, tolluntur. Valet enim universaliter affirmativè: ut, *Socrates* est integer, ergò non est membris truncatus. Valet etiam *negativè*, si partes accipiantur univocè & philosophicè, non æquivocè aut populariter: nam mortuo *Socrate*, æquivocè tantùm, & more vulgi dicuntur *Socratis* manus, caput, pedes; tunc enim propriè loquendo non sunt partes *Socratis*, sed cadaveris.

2 *Positis partibus ponitur Totum integrale; & sublatâ unâ parte tollitur totum.* Canon obtinet affirmativè, de partibus unitis & conjunctim sumptis, non de distractis: nam positis lapidibus, non statim sequitur est domus. Valet itidem

dem negativè, 1 de partibus veris & naturalibus, non de excrementitiis: nam non sequitur, desunt ungues aut capilli, ergò non est integer homo. 2 De partibus eminentioribus, conspicuis, & principalioribus: nam non denominatur mutilatus, cui deest vel minimus digitorum articulus. 3 De partibus continentibus, non contentis; nam in phlebotomia seu venæ sectione amittitur sanguis, & quidam spiritus, cùm nonnunquam major subsequitur Totius integritas. Par est ratio de partibus carnosis, quæ sunt in perenni fluxu. 4 De defectu integritatis partium integrantium; non essentialium: nam amputato brachio, remanet homo quoad essentiam, sed tollitur integritas partium suarum integrantium.

8 *Quod convenit toti, convenit partibus integralibus*, Et contra. Regula utrinque valet de attributis essentiam concomitantibus: ut, *Socrates* est quantus, ergò & manus ejus est quanta: sic quælibet guttula decidentis aquæ est rotunda, ergò & concursus aquarum, sive Mare, est rotundum; sed non sequitur quoad extensionem: nam mare ambit terram, sed non ita aquæ guttula; tametsi omnes guttulæ simul sumptæ habeant eandem extensionem cum toto mare.

Hæc de loco Distributionis.

CAPUT 14.

De loco à Signo.

DE *loco à Signo*, tria sunt inquirenda: 1 quid sit, 2 quotuplex, 3 qui sunt ejus Canones.

Signum,

Signum, est indicium ex quo res occulta vel non apparens, esse vel non esse, concluditur. *Signum quid.*

Argumentum est *à loco Signi*, quoties in Syllogismo probabili medius terminus est signum majoris extremi. *Locus à Signo.*

Signum est triplex; 1 *Necessarium*, quod appellatur τεκμήριον; quasi ita ordinatum cum signato, ut illud *infallibiliter* demonstret. Estque vel *Supernaturale*, quod à Deo in sacris literis prædicitur (ad quod referri possunt *prodigia* omnia ibidem prædicta) vel *Naturale* seu *physiognomicon*, ex quo, de temperamentis aliventium, & tempestatibus aëris fit judicium. 2 *Verisimile* seu contingens, quod græcè ἀκμεῖον & εἰκῶν dicitur; quod *plerumque* signatum indicat. 3 *Vanum* & leve, græcè εἰκαῖον, quod *plerumque* ita se non habet: horum unumquodque vel est 1 *Antecedens*, quod signatum indicat futurum esse: vel 2 *Concomitans*, quod signatum in esse præsenti, & propriè dicitur symptoma, græcè σύμπτωμα: vel 3 *Consequens*, quod signatum indigitat in esse præterito. *Signum quotuplex.*

Sequuntur Canones à loco Signi.

1 *A Signis divinitùs datis ad signatum firmissimum est argumentum; & contrà, tam affirmativè quàm negativè.* Valet axioma, ut signis divinitùs concessis, 1 *Antecedentibus*: ut, Motus solis retrogradus in *Achasi* solario, infallibile signum erat recuperandæ sanitatis Regi *Hesechiæ*. 2 *Concomitantibus*: ut, Signum filii hominis venientis in nubibus, est infallibile indicium jam instantis extremi judicii. 3 *Consequentibus*: ut, Iris est signum, quod Deus est pacti memor, mundum aquis nunquam iterum periturum. *Signorum axiomata.*

2 *Argumenta à Signis nullam vel leviculam dependentiam habentibus à signatis (sed hominum superstitione,*

perstitiosa, & *Diaboli astutiâ inventis*, *sunt invalida, inepta, impia*. Regula est, 1 de plerisque Astrologiæ *Judiciariæ* prædictionibus: nam virtus cœli sæpiùs impeditur à causis secundis naturalibus, quantò magis à speciali Dei providentiâ, disciplinâ morali, & exercitio pietatis aliorsum flectitur. 2 De signis *Augurum* & *Aruspicum* Ethnicorum, qualia sunt, extorum inspectio, cornicis cantus, avium volatus, &c. 3 De inspectione *Chiromantica*, quæ non nititur certis naturæ aut artis indiciis, sed quorundam superstitiosorum insomniis. Nam nulla dantur in manibus signa eventus planè non naturales, sed fortuitos indicantia: & posito tali signo, tametsi eventus prædictus subsequatur, nemo noverit an tale signum eventus semper consimilis sit subsecuturus; nisi qui Satanæ præstigiis illius dicenti fidem adhibent, rationes non quærunt. 4 Tenet regula de concomitantibus & consequentibus ejusdem vanitatis signis, æquè ac de antecedentibus.

3 *Posito signo naturali ponitur signatum*. Regula est 1 *necessario vera*, de signis habentibus necessariam connexionem cum signatis: sive sint quædam morborum symptomata, quæ tantò certiùs morbum indicant, quantò propriùs accedunt ad ipsas morborum causas & origines (qualia frequentiùs occurrunt in complexione, & humoribus, in urina, & cæteris excrementis animantium) sive sint in inanimatis naturalium effectuum indicia: ut, sudor lapidum est signum pluviæ, vel statim futuræ, vel jam distillantis. 2 *Contingenter vera* est de iis signis, quæ non habent infallibilem connexionem cum signatis: sed debilem, *contingentem ut plurimum*, & imperfectibilem: ut, rubet vesper ergò verisimile est crastinam fore serenitatem; rubet aurora ergò

ergo probabile est hodiè pluvias distillare. 3 *Contingenter vera* est de signis *contingentibus raro*, & ad *indifferens*; si plura simul sumantur: ut circumstantiæ loci & temporis, sermo, gestus, pallor, aut insolitus mœror coram Magistratu, signa suæ verisimilia perpetrati facinoris: quæ singula seorsim sumpta, vix levem conjecturam aut suspicionem producerent.

Hæc de loco à Signo.

CAP. 15. & ult.

De loco A Testimonio, seu Authoritate.

DE *Testimonio* (seu potiùs Authoritate) hæc tria sunt declaranda. 1 quid sit. 2 quotuplex. 3 qui sint ejus Canones.

Testimonium est sententia testis. *Authoritas* est testantis dignitas, synceritas, & testimonii veritas. *Locus à Testimonio.*

Argumentum est *à Testimonio*, quoties in Syllogismo probabili testantis authoritas est medius terminus, conveniens, vel non conveniens majori extremo.

Testimonium est duplex. 1 *Divinum*, quod Deum habet authorem: estque vel *Immediatum*, quod per se exhibet; *vivâ voce, interno motu*, per *somnia*, per *oracula*, &c. vel *Mediatum*, ad quod promulgandum utitur ministerio *Angelorum*, aut *Hominum* τῶν Θεοπνεύστων. 2 *Humanum*, quod authorem habet hominem: estque vel in *Factis*, quod suo quispiam exemplo comprobat: vel in *Dictis*, iisque vel *Pronunciatis*, simplici *asseverationè*, aut *jurejurando*: vel *Scriptis*, quod literis mandatum reliquit (ubi locum habent Historiæ, & reliqua id genus monumenta) quod dividi potest ratione ma- *Testimonium quotuplex.*

teriæ traditæ, in testimonium *Philosophi, Medici, Iurisperiti, &c.*

Canones de Testimonio.

Canones de Testimonio.

1 *Omne Testimonium Divinum est infallibile, verum, fide dignissimum, idcoque & absque animi fluctuatione credendum.* Regula est de testimonio tàm Mediato quàm Immediato; quatenus respicit conditionem *testificantis*, qui verax est, imò & ipsa veritas; ita ut mentiri aut mutari non potest: sed non quatenùs respicit dispositionem cognoscentis. Nam Ethnicus aut Judæus eluderet argumentum è novo Test. petitum; quod Christianus judicat omni Demonstratione certius, & omni exceptione majus.

2 *A testimonio Divino sacris literis exhibito sequitur argumentum.* Idque 1 *Affirmativè*, ubi 1 Textus est authenticus, non apochryphus. 2 Ubi sensus est simplex, verus, & literalis, congruens cum autographo, & cæteris Scripturæ testimoniis: non adulterinus, parabolicus, allegoricus, &c. 3 Ubi testimonium vel est expressè traditum, vel certâ & evidenti consequentiâ colligitur. 4 Ubi testimonium est publicum, non privatum & speciale mandatum: nam non sequitur, quia Israelitæ ex mandato Ægyptios spoliarunt, ergo licet Christianis Ethnicorum fortunas invadere & deripere, tempore pacis. 2 valet regula *Negativè* 1 De iis quæ ad religionem spectant: nam Artes & Scientiæ non ibi traduntur, sed non inde sequitur omnes esse inutiles, fugatas, aut falsas; satis enim est quòd non opponuntur, sed subordinantur generali doctrinæ sacri contextus. 2 De fidei fundamentalibus articulis: non de circumstantiis & cæremoniis, quæ pertinent non ab substantiam, sed decorem cultûs divini: ut sequitur hoc argumentum, *non est in sacra pagina, ergo non est ad salutem necessarium ut credatur.* 3 Si neque

neque expresse proponatur, neque certâ & evidenti consequentiâ possit inde colligi, non erit fundamentum fidei; ut, nec constat expressis Scripturæ tabulis, neque ullâ solidâ consequentiâ Pontificem Regibus imperare; ergo imperium ejus minimè est ferendum.

3 *A testimonio hominis scripto, aut aliàs exhibito, negativè nihil consequitur:* ut, non sequitur; hoc non extat apud Aristotelem, ergo non est admittendum: valet regula. 1 Præsertim de Scriptoribus inferioris notæ, & authoritatis; tametsi argumentum negativè ductum vel ab eruditissimis, debile admodum est, & minimæ efficaciæ. 2 Si Author paululum sagaciori non erat statutum de eâre exactè differere: Aliter enim quandoque erit probabile argumentum: ut *Arist.* propositi lib. 3. Metaphys. tractare omnes species Quantitatis; sed non meminit Loci, ideoque verisimile est Locum non esse Quantitatem.

4 *Nullum testimonium valet contra certam & rectam rationem.* Canon est: 1 de pravis consuetudinibus; quibus ratio semper anteponenda est. 2 de sensuum judicio: nam sensus judicat Solem esse pedalis magnitudinis; cùm ratio contrà clamat, probatque Solem universo terræ globo longè majorem. 3 Universaliter de omni testimonio, tàm humano, quàm divino, quod aliquando potest transcendere rationis captum; nunquam tamen est *contra* rectæ rationis dictamen.

5 *Antiquorum testimonium præferendum est testimonio Neotericorum:* valet axioma. 1 quantum ad vitæ puritatem, zelum, pietatem, & sacrarum literarum cognitionem; non quoad acumen & cognitionem rerum politicarum, aut Artium liberalium. 2 Non simpliciter, sed cum restrictione ad illud tem-

pus, quo patefactum erat Evangelium, (organum exactissimæ cognitionis divinæ) in summa puritate & perfectione suâ: ideoque propinquiores hisce temporibus magis sunt credendi, quia tot assiduè succrescentibus errorum hydris à simplicitate textûs non facilè torquebantur. Artes autem in suis primordiis similes fuerunt ursarum catulis, primâ fronte deformes, tum post longum tempus, & satis seriam disquisitionem, serò politiores evaserunt; & adhuc limatiores sunt futuræ.

6 *Plurimorum testimonium præferendum est testimonio paucorum*; valet axioma generaliter & simpliciter, *Si cætera sint paria*, scil. prudentia, scientia, honestas, pietas: fallit autem, si *pauciores* his prædictis qualitatibus excellant: Nam una Sapientis scientia præponderat integra loquacis volumina.

Atque hæc de Syllogismo Topico sint dicta.

Finis Syllogismi Topici.

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

De Fallaciis in genere.

EGimus huc usque de *vero* Syllogismo quatenus adstruendus sit in materiâ tam *Necessariâ* quam *Probabili*: Supereſt *Sophisticus* de quo Appendicis loco pauca dicemus.

Hujus etenim Tractatio quam sit utilis, vel hinc liquet; quod eorum pandit impostura, qui indocti plerunque, sed jactabundi (non zelo veritatis indagandæ, sed quæstûs & gloriæ captandæ studio abrepti) mul-

lent

lent fallacibus argutiis vera dicentem imprudenter opprimere, quàm solidis argumentis falsa opinantem modestè redarguere: quo fit, ut neglectâ literarum medullâ cùm ad concertandum evocantur, hærent in cortice, inanes evomunt ineptias & affectatas captiunculas.

Quorum fraudes ut facilius evitentur, & dissolvantur technæ; de arte hac (tam illicitâ, tamque, ut quispiam profiteretur, indignâ; tam necessariâ autem, ut quæ tradatur) hæc tria sunt tradenda. 1 Quid sit Syllogismus Sophisticus: & quis Sophista. 2 Qui sint Sophistarum fines illicitâ hâc arte utentium: (nam de fine Tractatûs supra diximus, cum esse, fraudes & captiunculas detegere, ut melius evitentur. 3 Quotuplex sit, ubi de mediis seu locis Sophisticè arguendi, & eorum solutionibus, summatim dicemus. *Finis hujus tractatûs.*

Syllogismus Sophisticus est Argumentatio captiosa, specie tantùm & apparenter vera vel probabilis, cum revera sit fallax. Sub hac generali definitione comprehenduntur. 1 Syllogismus *Pseudographus*, qui fit ex falsis vel perperam intellectis alicujus artis principiis: ut, si quis probaret, impossibile esse ut aliquid fit, ex hoc principio, *ex nihilo nihil fit*: Quod tenet tantùm in naturali & ordinariâ productione rerum per causas naturales: non de supernaturali creatione per omnipotentiam divinam. 2 *Paralogismus*, qui non concludit in legitimo modo & figurâ. 3 *Sophisticus* specialiter sic dictus, qui rectiùs & cum majori specie probabilitatis à communibus propositionibus probabilibus conclusionem subdolè infert. In quâ (missâ definitionis explicatione) de *definito* hæc duo sunt advertenda. 1 Cur dicatur Syllogismus. 2 Cur Sophisticus: ubi ostendendum quis sit Sophista. 1 *Pseudographus.* 2 *Paralogismus.* 3 *Sophisticus.*

Dicitur *Syllogismus*, non quoad rei veritatem (ac si esset aliqua ipsius species univoca) sed tantùm quoad nomen, & aliquam analogiam quam habet cum vero Syllogismo, licet in multis deficiat: nam tres habet terminos, quandoque secundum modum & figuram rite dispositos, quantum ad externam speciem, & prout verba sonant; cum quoad significationem & rem ipsam longissime inter se distant: unde rectiùs dicatur Syllogismi *nævus*, *vitium notha*, *monstrum*, &c. v. g. *omnis equus est irrationalis*, *quidam homo est equus*, ergo, *quidam homo est irrationalis*.

Dicitur *Sophisticus*, non eâ ratione quatenùs respicit primævam nominis originem, ut derivatur à σοφία; sapientia (quasi ab ipsis artium fundamentis ad rerum indagandum sit deptomptus) sed à simulata & abusivâ sapientiæ imitatione, quam *Sophistæ* prætendunt, ad quæstum & honores ambiendos, unde *Sophista* sic definitur: est Aucupator pecuniæ, qui quæstum facit ex eâ sapientiâ quæ videtur esse, nec est; ubi quod reliquum est hujus tractatûs his duobus explicandis absumendum 1 qui sint ejus fines seu metæ. 2 quibus mediis in eosdem fines collimat: ubi de eorum falsitatis detectione & solutione.

Sophista quid sit.

Ultima meta Sophistæ.

Meta Sophistarum alia est, ultima, principalis, architectonica, primùm efficaciter movens, in intentione unicè & præ cæteris proposita, & est, *Quæstus* sive *Lucrum*: alia est, subordinata, & ultimata, quæ cernitur in executione primæ intentionis, cujus respectu dici potest medium proximè conducibile, & attingens ultimam metam: estque quintuplex. 1 *Redargutio*. 2 *Falsum*. 3 *Inopinabile*. 4 *Solœcismus*. 5 *Negatio*: quæ distingui solent, vel secundum diversas *disciplinas* (ut Aquinas) sic ut *Redargutio* pertineret ad Metaphysicam, *Falsum* ad Physicam & Mathematicam, *Inopinabile* ad Dialectica-

5 Metæ subordinatæ quæ, & quot.

ticam,

ticam, *Solœcismus* ad Grammaticam, & *Nugatio* ad Rhetoricam: vel si conjunctim respiciant Dialecticam, sic melius distingui possunt: ut *Redargutio* sit, præconcessi negatio, cùm vi fucati argumenti cogitur Respondens sibi non constare: *Falsum* sit apertè falsi admissio: *Inopinabile* sit abcessio à communi & receptâ à sapientibus conclusione: *Solœcismus* sit, concessio incongruæ Syntaxeos, vel Barbarismi, quod vitium est in Prosodiam: nugatio sit, ineptæ repetitionis & περισσολογίας in aliqua conclusione concessio, ubi altera pars non est exegetica seu explicatoria alterius, sed planè inutilis, & redundans.

Hæc de finibus seu Metis Sophistarum. Nunc de *mediis* dicendum, seu potiùs de *locis communibus* unde argumenta, tanquam à referta pharetrâ tot venenatas sagittas selegunt, ad captandam prædam.

Fallacia omnis (tametsi possit partiri secundum locos supradictos Syllogismi Topici, inter quos sigillatim reperiri potest occultè latitans) ad has *duas* classes dextrè revocetur. 1 *In Dictione.* 2 *Extra Dictionem.* 1 Fallacia est *in Dictione*, ubi major ambiguitas est in verbis multiplicis significationis. Atque hujus *sex* sunt membra, scil. Fallacia 1 Æquivocationis. 2 Amphiboliæ. 3 Compositionis. 4 Divisionis. 5 Accentûs. 6 Figuræ Dictionis. juxta versiculum. *Divisio fallaciarum.*

Æquivocans. Amphi. Componit. Dividit. Acc. Fig.

2 Fallacia est, *extra Dictionem*, ubi major latet ambiguitas in rebus significatis per voces & sententias. Atque hujus classis sunt *septem* capita, scil. Fallacia 1 Accidentis. 2 A Dicto secundum quid ad Dictum simpliciter. 3 A non causâ pro causa. 4 Consequentis. 5 Petitionis principii. 6 Ignorationis

rationis Elenchi. 7 Plurium Interrogationum. juxta alium versiculum.

Aeo. Quid, Ignorans, Petit, Infert, Causa, Rogatque. De quibus sigillatim nunc dicendum, ordine superiùs proposito.

CAPUT 2.

De Fallaciis in Dictione.

DIctio multiplex est triplex. 1 *Actualis*, quando vel *eadem vox* invariata plura significat: & tum est *fallacia Æquivocationis*; vel quando *eadem sententia* invariata plura significat; & tum constituit *fallaciam Amphiboliæ*. 2 *Potentialis*, quando eadem dictio vel oratio quoad materiam *mutatâ forma* potest plura significare; & est *fallacia* vel *Compositionis*, vel *Divisionis*, vel *Accentûs*. 3 *Phantastica*, quando eadem vox propter aliquam similitudinem finalis terminationis vel significationis videtur esse ejusdem generis cum alia voce: & tum constituit *fallaciam figuræ Dictionis*.

1 *Fallacia Æquivocationis.*

1 Fallacia *Æquivocationis* seu *Homonymiæ*, est quoties eadem vox æquivocans aliter sumitur in unâ propositione Syllogismi, quam in alterâ: hinc distinguitur 1 ab Amphibolia, Compositione, & Divisione, quæ sunt fallaciæ in pluribus dictionibus. 2 Ab Accentu, ubi non est idem modus prolationis aut scriptionis. Contingit autem hæc fallacia tot modis, quot modis sumi potest æquivocum. Idque præsertim 1 ratione primæ impositionis; ubi vel *casu* vel *consilio* una vox adhibetur ad plures res significandas. v. g. *Omnis gallus est animal irrationale, quilibet intra ditionem Regis Francorum est Gallus,*

ergo,

ergò *quilibet intra ditionem Regis Francorum est animal irrationale.* 2 Ratione translationis, quæ fit, vel propter aliquam rerum similitudinem, vel orationis elegantiam. v.g. *Quicquid videt, illud est rationale, pratum videt*, ergò *pratum est rationale*: Item, *Omnis lupus est ovium rapax, quidam piscis est lupus*, ergò *quidam piscis est ovium rapax.*

Solutio vera & specialis hujus fallaciæ (nam neque de *apparenti* solutione dicturi sumus, quæ fit tantùm, ad hominem: idque vel per digressum à re propositâ, vel per contemptum allatæ rationis, vel per oppositionem fortioris objectionis, vel denique per exprobrationem personæ adversarii.) Neque de *generali* solutione *Elenchorum* peccantium in materia, quæ fit negando alteram præmissarum, vel argumentum, seu illationem) est, vel per distinctionem nominis multiplicis significationis; vel per additionem alicujus limitationis; si in initio non perspexerimus fallaciam. *Solutio.*

2 Fallacia *Amphiboliæ*, est quoties oratio ambigua aliter sumitur in una propositione Syllogismi, quàm in altera: & contingit 1 quando oratio plures sensus admittit æquè proprios. v.g. *Aiote Æacidem Romanos vincere posse*: Nam incertum est cui promittitur hæc victoria *tyrrhóne* an *Romanis*: Item, *Quod quis videt illud verè videt, at homo videt lapidem*, ergò *lapis verè videt*: nam ir certum est, an adversarius sic construit majorem, quod quis videt, illud verè videt (i.) videtur ut objectum: vel sic, quod quis videt, illud verè videt (i.) facultatem habet videndi. 2 Quando oratio unum habet sensum proprium, alium metaphoricum. v.g. *Qui surdis canit, adhibet aliquam vocum modulationem: at qui vel nutu increpat indocilem, surdo canit* ergò *qui increpat nutu adhibet vocum modulationem.* 2 *Fallacia Amphiboliæ.*

Et

Et ad hunc locum pertinent omnes locutiones proverbiales, quando ad literam exponuntur, & non ad sensum.

Solutio. Solvitur hæc fallacia eodem modo quo & superior, quando scil. ostenditur orationis ambiguitas: & ad sensum debitum & usitatum revocatur.

3 Fallacia compositionis. 3 Fallacia *Compositionis*, est quoties ea malè conjunguntur, quæ aliàs benè divisim sumuntur, Contingit hæc fallacia. 1 In Modalibus propositionibus: cùm Copula Dicti connectit formalia significata subjecti & prædicati in dicto v. g. *Possibile est sedentem ambulare*: quæ propositio in sensu composito est falsa: nam, *dum sedet, non potest actu ambulare*: vera autem est in sensu diviso: nam, *qui jam sedet, alio tempore potest ambulare*. 2 Ubi Modus conjunctus Dicto, exponitur cum omnibus quæ continentur sub communi subjecto Dicti. v. g. *Contingit aliquod corpus moveri*: quæ falsa est in sensu composito, nam *aliquod corpus necessariò movetur actu*, ut *cœlum*: tametsi *aliqua moventur actu contingenter*, ut *animalia*, &c. 3 In propositionibus Hypotheticis, quarum partes connectuntur per conjunctionem copulativam, conditionalem, disjunctivam, v. g. *duo & tria sunt par & impar, quinque sunt duo & tria*, ergò *quinque sunt par & impar*: ubi major propositio in sensu composito est falsa: ideóq; & falsa est conclusio. 4 In propositione ubi dictio aliqua, quæ pluribus potest adjungi, adnectitur illi cui minus debet. v. g. *Qui nunc natus verè dicitur, is hâc horâ natus est, at sexagenarius nunc verè dicitur natus*, ergò *sexagenarius hâc horâ natus est*: ubi in majori adverbium, (*nunc*) adjicitur verbo (*dicitur*) unde major falsa est: quòd si (*nunc*) referatur ad participium (*natus*) tum nulla esset fallacia in majori, sed esset evidenter vera. 5 Ubi duæ res divisim

misim sumptæ in præmissis, conjunguntur in conclusione. v.g. *Regia via res est, at regia via est publica, ergò regia via est Respublica. Canis est pater, & canis est tuus*, ergò *canis est pater tuus.*

4 Fallacia *Divisionis* est quoties à benè conjunctis ad malè divisa arguitur. v.g. *Quinque non sunt par & impar, duo & tria sunt quinque*, ergò *duo & tria non sunt par & impar.* Contingit autem quot modis contigit superior fallacia *compositionis.* — 4 *Fallacia Divisionis.*

Solvuntur hæ duæ fallaciæ, ostendendo perversam compositionem eorum quæ disjungi debent; & perversam divisionem eorum quæ debent conjungi. — *Solutio utriusque.*

5 Fallacia *Accentûs* est, quando una & eadem dictio vel oratio secundùm materiam, plura significat ratione accentûs diversi: vel modi pronunciandi. Contingit 1 quando spiritus mutatur. v.g. *Ara est in templo, porcorum stabulum est hara*, ergò *porcorum stabulum est in templo: qui Shibboleth pronunciârunt tuti erant à Gileaditis, at Ephramitæ pronunciârunt Sibboleth*, ergò *tuti erant.* Falsitatem hujus conclusionis abeventu intelligas. *Jud.* 12. 2. quando quantitas mutatur in voce prolatâ, vel carmine mensuratâ, vel accentu notatâ. v.g. *Omne* malum *est fugiendum, pomum est* malum, ergò *pomum est fugiendum.* Populus *crescit in fluviis, multitudo plebis est* populus, ergò *multitudo plebis crescit in fluviis.* 3 Cùm simplex vocalis transit in dypthongum, & contrà. v.g. *Equus est quadrupes iustus iudex est equus*, ergò *iustus iudex est quadrupes.* 4 Cùm variatur modus pronunciandi. v.g. *Qui dicit heus bone vir curâsti, probè agnoscit viri probitatem, sed qui deridet aut increpat dicit heus*, &c. ergò *qui deridet aut increpat, agnoscit viri probitatem:* hîc locum habent locutiones ironicæ & hypocriticæ, &c. — 5 *Fallacia Accentûs.*

Solvitur hæc fallacia, substituendo verum accentum, — *Solutio.*

tum, ſpiritum, vocalem, & pronunciandi modum, in locum falſi accentûs, ſpiritûs, &c. & oſtendendo quæ ſit diverſitas inter plures voces & ſententias ratione diverſorum accentuum, &c.

6 Fallacia Figuræ Dictionis.

6 Fallacia *Figuræ Dictionis*, eſt quoties propter ſimilitudinem & cognationem terminationis vel ſignificationis duarum vel plurium vocum, colligimus eandem eſſe ſignificandi rationem. Contingit 1 ratione attributi Grammatici. v. g. *Similis eſt ratio Poëtæ & Muſæ, at Poëta eſt maſculini generis*, ergò *ſic Muſa*. 2 Ratione attributi Dialectici. v. g. *Par eſt ratio inter ſecari & operari, at ſecari eſt pati*, ergò *operari eſt pati*. 3 Ratione ἀνωμαλοχίας, ſeu locutionis nimium abuſivæ. v. g. *Quod non amiſiſti illud habes, at non amiſiſti cornua*, ergò *habes cornua*. Hæc fallacia minimam habet ſpeciem probabilitatis: ideóque rariùs occurrit inter Sophiſtarum rixas.

Solutio.

Solvitur hæc fallacia, oſtendendo tranſitum à genere ad genus, abuno prædicamento ad aliud eſſe illicitum: & dicendo ſimilem eſſe rationem harum vocum quoad Accidens quoddam, ſcil. *ſonum* & terminationem, ſed non quoad ſubſtantiam, ſenſum, ſignificationem, & attributa.

Hæc de Fallaciis in Dictione.

CAPUT 3.

De Fallaciis extra Dictionem.

FAllacia in re ſive *extra Dictionem* oritur tribus de cauſis 1 quòd vitiosè *interrogatur*, & tum eſt fallacia *plurium Interrogationum*. 2 Quòd vitiosè *ſumitur*, 1 *Accidentale prædicatum* pro eſſentiali. 2 *Non Cauſa* pro cauſa. 3 *Principium* idem de quo eſt quæſtio. 4. *Non conſequens* pro conſequente.

3 Quod

3 Quod vitiosè *concluditur*, vel à *dicto simpliciter* ad dictum secundùm quid, & contrà: vel à confusa conjunctione diversorum respectuum, & est *Ignoratio Elenchi*: de quibus sigillatim nunc dicendum.

1 Fallacia *Accidentis* est, quando id quod convenit tantùm per accidens uni terminorum in Syllogismo, attribuitur alteri quasi esset prædicatum per se. Contingit 1 cùm proceditur ab accidente ad subjectum, & contrà. v. g. *Causa ebrietatis est tollenda, vinum est causa ebrietatis*, ergò *vinum est tollendum*. 2 Cùm transitus sit à rebus ad voces, & contrà. v. g. *Animal est genus, homo est animal*, ergò *homo est genus*. 3 Cùm transitus sit à divisis ad conjuncta, & contrà. v. g. *Theseus erat appropinquans Græciam occiso Mino-tauro, at pater Ægeus novit filium Theseum*, ergò *Ægeus novit appropinquantem Theseum*. Falsa erat conclusio ab eventu: nam quia non novit illum qui appropinquavit esse filium ejus à Mino-tauro liberatum, in mare se præcipitem dedit: inde dictum, *mare Ægeum, Coriscum novi, advenientem non novi*, ergò *eundem novi & non novi*. 1 *Fallacia Accidentis*

Solvitur hæc fallacia, 1 ostendendo non esse necessarium ut quod conveniat Accidenti, conveniret Subjecto: aut contrà. 2 Asserendo argumentum esse infirmum à sensu diviso ad sensum compositum: aut contrà. 3 Contendendo illicitum esse transitum à genere ad genus, à rebus ad notiones: aut contrà. 4 Monstrando disputationem non esse ad idem. Nam hæc fallacia participat aliquid de fallaciis Compositionis, Divisionis, Consequentis, & Ignorationis *Elenchi*. *Solutio*

2 Fallacia *à Dicto secundum quid ad dictum simpliciter est*, quando infertur illud simpliciter quod verum est tantùm secundùm quid: vel quando dictum *quid*. 2 *Fallacia à dicto secundum*

ctum simpliciter infertur à dicto secundùm quid, quod minuit vel tollit significata dicti simpliciter. Contingit itaque 1 ubi dictum secundùm quid est destructivum ejus cui adjungitur. v. g. *Socrates est homo mortuus*, ergò *est homo*. 2 Cùm dictum secundùm quid est tantùm in opinione. v. g. *vacuum traditur à Philosophis*, ergò *vacuum est*. 3 Cùm additum illud significat partem. v. g. *Æthiops est albus dentes*, ergò *Æthiops est albus*. 4 Cùm determinatio illa denotat circumstantiam magni momenti. v. g. *Expedit merces in mare projicere ad salutem conservandam*, ergò *expedit merces in mare projicere*. 5 Cùm particula necessariò restringens omittitur. v. g. *Lex non est data justo ad condemnationem*, ergò *lex non est data justo*, ut sit regula obedientiæ.

Solutio. Solvitur hæc fallacia, ostendendo propositionem diverso modo sumi; alteram simpliciter, alteram secundùm quid.

Ignoratio Elenchi. 3 Fallacia ab *Ignoratione Elenchi* est, cùm ea sumuntur ut contradictoria negatis quæ non contradicunt. Contingit si disputatio 1 non sit ad idem. v. g. *Socrates est dives, si conferatur cum Codro, pauper, si cum Cræso*, ergò *Socrates est dives & pauper*. 2 Si non sit secundùm idem. v. g. *Nullus Æthiops est albus, omnis Æthiops est albus dentes*, ergò *Æthiops est albus, & non est albus*. 3 Si non sit eodem modo sumpta. v. g. *Socrates currit sponte, Socrates non currit coactè*, ergò *Socrates currit & non currit*. 4 Si non sit idem tempus. v. g. *Fideles sub lege credebant Christum venturum, fideles sub Evangelio non credebant Christum venturum sed exhibitum*, ergò *fideles credunt & non credunt Christum venturum*. Sophista in his omnibus vel nescit, vel consultò tacet diversam hanc medii acceptionem: hæc fallacia latissimè omnium patet, & complectitur quodammodo cæteras omnes.

Solvitur

Solvitur hæc fallacia, ostendendo nullam in disputatione præsenti esse contradictionem, ob defectum alicujus ex quatuor conditionibus, quam nominare debet respondens. *Solutio.*

4 Fallacia *petitionis principii* est, quoties illud sumitur pro principio quod non est concessum, aut receptum, aut aliud à quæsito, sed æquè ignotum aut controversum. Contingit 1 cùm quæsitum sumitur sub iisdem terminis, v.g. *Omnis homo est risibilis, omnis homo est homo,* ergò *omnis homo est risibilis.* 2 Cùm sumitur vox synonyma. v.g. *Socrates est doctus,* ergò *Socrates est eruditus.* 3 Cùm quæsitum & principium sunt termini reciproci quoad ambitum prædicationis. v.g. *animal in genere non prædicatur de homine tantùm, quia sensibile non prædicatur de homine tantùm.* 4 Cùm principium sit æquè ignotum vel ignotius quæsito. v.g. *cælum est immobile, quia terra est mobilis.* 4 *Petitio principii.*

Solvitur hæc fallacia ostendendo, identitatem simpliciter, synonymiam, reciprocationem, æqualemque esse obscuritatem & incertitudinem quæsiti & principii: & proinde vanam esse hanc argumentationem; cùm vera omnis procedat à notioribus, prioribus, aliisque à quæsito (& non iisdem) mediis. *Solutio.*

5 Fallacia *Consequentis* est, quoties infertur ut consequens ab antecedente quod revera non consequitur. Contingit 1 quoties peccatur in regulas conversionis, quas legas *cap.* 5. *lib.* 3. 2 Quoties nulla est dependentia terminorum inter se: ut, *baculus est in angulo,* ergò *rex est in solio.* 5 *Fallacia consequentis.*

Solvitur hæc fallacia, ostendendo vel nullam esse inter terminos dependentiam, vel magnam esse inconsequentiam, & peccatum in supradictas Conversionis regulas. *Solutio.*

6 Fallacia

6 Fallacia non causæ pro causa.

6 Fallacia *non causæ pro causa est*, quoties adfertur pro vera causa quod vel nulla est, vel tantùm causa per accidens, aut dissimilis effectui. Contingit 1 ubi ob perversa dispositione, illud interpretamur causam esse quod non est. v. g. *Agnus bibit, me bibente* (inquit lupus in fabula) ergò *interturbat mihi aquam*. 2 Ubi abusus rei usurpatur loco legitimi usûs. v. g. *Ebrietas est tollenda*, ergò *vites & vinum sunt tollenda*. 3 Ubi causa quovis modo per accidens, adhibetur loco causæ per se. v. g. *Quidam juvenes insurgunt in monitores*, ergò *omnis admonitio est omittenda*. 4 Cùm causa dissimilis usurpatur ad probandum effectum esse similem. v. g. *Deus qui mundum condidit est æternus*, ergò *mundus est æternus*.

Solutio.

Solvitur hæc fallacia ostendendo, quæ & qualis sit causa adducta, & substituendo veram & germanam.

7 Fallacia pluriumm interrogationum.

7 Fallacia *plurium interrogationum* est, quoties Sophista unam interrogat vel expectat responsionem ad prolatam quæstionem voce simplicem, reipsâ multiplicem. Contingit ubi quæruntur 1 plura de uno. v. g. *Esne terra mare vel cœlum*: 2 ubi unum de pluribus. v. g. *num bonum & malum sunt fugienda*: 3 ubi plura de pluribus. v. g. *num temperantia & intemperantia sunt virtus & vitium*.

Solutio.

Solvitur hæc fallacia plures adhibendo responsiones secundùm numerum interrogationum, quæ in unicâ prolatæ latuerunt.

Atque hæc de Syllogismo Sophistico.

Præceptorum Logicorum finis.

Μόνῳ Θεῷ δόξα καὶ εὐχαριστία.